Aristophanes, Plutus

Guilelmus Meyer

Laudes Inopiae

Laudes Inopiae



Dissertatio Inauguralis

quam
Amplissimi philosophorum ordinis
consensu et auctoritate
In Academia Georgia Augusta
ad
Summas in Philosophia Honores
Rite capessendos
scripsit

Guilelmus Meyer
Bremanus.

Gottingae
Officina Hubertiana Typis expressit
MCMXV.

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem
rettulerunt
M. Pohlenz et R. Reitzenstein.
Examen rigorosum habitum est a. d. III. nonas Februarias VMCMXV.

Parentibus meis.

Chremylum autem atque Blepsidemum, quod Pluto visum restituere et Paupertatem ex urbe depellere in animo habeant, non recte facere Penia exponit. Qui senes se omnibus hominibus profuturos esse putaverunt (v. 460 sqq.):

Χρ. τί οὖν ἀδικοῦμεν τοῦτο σέ,
εἰ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἐκπορίζομεν
ἀγαθόν; Πε. τί δ'ἂν ὑμεῖς ἀγαθὸν ἐξεύροιθ'; Χρ. ὅτι;
σὲ πρῶτον ἐκβαλόντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος.

Sed Penia dicit (v. 473 sqq.):

καὶ σύ γε διδάσκου · πάνυ γὰρ οἶμαι ῥᾳδίως
ἁπάνθ' ἁμαρτάνοντά σ'ἀποδείξειν ἐγώ,
εἰ τοὺς δικαίους φῄς ποιήσειν πλουσίους.

Quos duos locos si accuratius inspexeris, facile sententiam versuum 460 sqq. discrepare cum ea, quam in versibus 473 sqq. legamus, cognosces. Ibi enim Chremylus omnibus hominibus divitias comparare vult (σὲ πρῶτον ἐκβαλόντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος), hic autem iustis solis. Ac si agonem ipsum contemplamur et cum summa reliquae fabulae comparamus, eandem discrepantiam invenimus.

Initio certaminis enim Chremylus iniustam illam civitatis condicionem describit et sanando Pluto se velle mederi huic incommodo praedicat (v. 494 sqq.):

ἢν γὰρ ὁ πλοῦτος νυνὶ βλέψῃ καὶ μὴ τυφλὸς ὢν περιροστῇ,
ὡς τοὺς ἀγαθοὺς τῶν ἀνθρώπων βαδιεῖται κοὐκ ἀπολείψει,
τοὺς δὲ πονηροὺς καὶ τοὺς ἀθέους φευξεῖται.

Sed Penia ei haec opponit:
Chremylus, si consilium illud bene evenerit, summam calamitatem civitati inferet. Nemo enim, si Plutus rursus oculis cernet atque pecunias aequaliter inter omnes distribuet, aut arti ulli aut artificio operam dabit; quis laborabit, si otium habere ei licebit? Non igitur felicitatem omnibus Chremylus afferet paupertate sublata, sed vita multo miserior, quam antea fuit, sequetur. Ad hoc autem tempus omnes res prospere cedebant, quia Penia continuo assidebat opifici eum, ut laboraret et ita victum cotidianum quaereret, adhortans. Cum vero Chremylus eam ita refellere conetur, ut vitam miserrimam hominum pauperum describat, Penia mendicitatem a paupertate secernit; mendicus enim nihil possidens continuo fame premitur, cum pauper, cui non multum sit pecuniae,

victu necessario numquam indigeat industrie laborans. Postremo autem Penia dona sua cum Pluti donis componit: Penia efficit, ut homines sint optima corporis atque animi valetudine, Plutus autem, ut aegro corpore atque animo laborent. Quodsi homines paupertatem oderunt, pueris similes sunt, qui parentibus, a quibus educantur atque beneficia accipiunt, irascuntur. Ad extremum autem Chremylus per vim Peniam depellit:

οὐ γὰρ πείσεις, οὐδ' ἢν πείσῃς (v. 600).

Atque Penia, quamquam aliquando senes se revocaturos profitetur, discedit.

Apertum est has agonis sententias non bene congruere cum reliquae fabulae consilio. Quod maxime fit in propatulo, si versus 489—506 atque versus 507 sqq. contemplamur. Chremylus enim versibus 489 sqq. de condicione civitatis iniquissima loquitur animo satis concitato atque, quod homines boni sint in miseria magna, improbi autem in rebus secundis versentur, vehementer reprehendit. Mox autem hanc rem immutatum iri praedicat (cf. v. 494 sqq.). Sed Penia Chremylo respondens dicit (v. 510. 511):

εἰ γὰρ ὁ πλοῦτος βλέψειε πάλιν διανείμειεν τ' ἴσον αὑτόν,
οὔτε τέχνην ἂν τῶν ἀνθρώπων οὔτ' ἂν σοφίαν μελετῴη
οὐδείς.

Secundum quae verba nemo laboribus fungitur. Atqui iniusti homines restant, qui Pluto rursus vidente pauperes facti nunc, ut victum quaerant cotidianum, labores suscipere debeant.

Secundum ipsius fabulae consilium igitur Pluto sanato iusti divites erunt, improbi pauperes. At secundum agonem periculum est, ne omnes homines, sive iusti sive iniusti sint, divites fiant. Quod consilium nisi ponimus, ea, quae Penia profert, prorsus non intellegimus neque videmus, cur dea studiosissime vehementissimeque loquatur. In versibus autem 629 sqq. denuo invenimus illam divitiarum secundum iustitiae normam divisionem. Cario enim servus, ut chorum de Pluti sanatione certiorem faciat, apparens dicit:

ὡς εὐτυχεῖθ', ὡς μακαρίως πεπράγατε
ἄλλοι θ' ὅσοις μέτεστι τοῦ χρηστοῦ τρόπου.

Quo loco dici viris probis felicitatem allatum iri conspicuum est: eandem quoque opinionem in scaenis insequentibus reperi-

mus [1]). A versu igitur 460 usque ad versum 629 loquuntur actores, quasi Chremylus, ut homines omnes ditescant atque hoc modo paupertas de medio tollatur, velit efficere. Qua a cogitatione, ut vidimus, versus 475 et versus 489 sqq. abhorrent, quibus locis rursus ea res, quae est proprie fabulae proposita, appareat. Qua ratione Aristophanem duas cogitationes, quae vere non inter se convenirent, artissime coagmentare voluisse crediderim. Respicias quoque verba, quibus Chremylus suam de condicione civitatis orationem concludit (v. 505, 506):

οὔκουν εἶναί φημ', εἰ παύσει ταύτην βλέψας ποθ' ὁ πλοῦτος,
ὁδὸν ἥντιν' ἰὼν τοῖς ἀνθρώποις ἀγάθ' ἂν μείζω πορίσειεν.

Quae verba sunt satis ambigua et ad sententias illas conglutinandas idonea. Atque poeta, ut hic verbis nonnullis ambiguis a consilio fabulae priore ad consilium divitiarum omnibus pariter dividendarum transit, ita versibus 549—569 paulatim fabulam traducit ad scaenas insequentes, in quibus rursus consilium iuste divitiarum et paupertatis dividendarum invenimus. Penia enim his versibus exponit paupertatem singulis hominibus utilissimam, opulentiam autem inutilissimam esse. Quae verba Penia, etiamsi non omnes homines evadunt divites, dicere potest.

Hoc modo sententias duas paulum conglutinare poetae fuisse in animo opiner; sed discrepantia illa, quam ostendi, restat. Quam Brentano [2]) ita explicat, ut comoediam e duabus fabulis esse coagmentatam statuat. Brentano enim inde proficiscitur, quod ultimae scaenae, quibus Mercurius et sacerdos cum Carione vel Chremylo colloquantur, ita cum agone cohaereant, ut intellegi non possint, nisi omnes homines divites esse factos putemus. Sed hoc etsi verum est, tamen magni esse momenti nego. Nam apertum est Aristophanem has Pluti scaenas effinxisse ad simili-

---

[1]) Iam in versibus 612 sqq. consilium prius significatur. Blepsidemus enim dicit:

νὴ Δί' ἐγὼ γοῦν ἐθέλω πλουτῶν
εὐωχεῖσθαι μετὰ τῶν παίδων
τῆς τε γυναικός, καὶ λουσάμενος
τῶν χειροτεχνῶν καὶ τῆς πενίας καταπαρδεῖν.

Sed verba Blepsidemi laetissimi ad trutinam expendere non licet.

[2]) Brentano, Untersuchungen über das griechische Theater; p. I Aristophanes, pag. 109 sqq.

tudinem quarundam scaenarum, quas in Avibus protulerat (conferas Iridem Avium cum Mercurio, Herculem Avium cum Mercurio vel sacerdote). Quo modo facile effici potuit, ut ultimae Pluti scaenae non prorsus cum summa fabulae consentirent [1]). Multo autem aliter res in agone Pluti se habet. Cogitationes enim illae, inter quas magna exstat discrepantia, graviter altera post alteram enuntiantur. Neque vero, quin vehementer responsum Penias cum illa de statu civitatis iniquo oratione Chremyli discrepet, dubitari potest.

Quam rem van Leeuwen alia via expedire conatur [2]): Chremylus bonis hominibus solis divitias comparare vult, sed mox viros improbos non iam futuros censet; nam omnes viri improbi, quia nullos nisi probos pecunias nancisci cognoscent, etiam probi fieri constituent; qua de causa brevi tempore omnes homines erunt probi. Sed haec explicatio valde mihi displicet. Nullo enim loco fabulae haec cogitatio, quam van Leeuwen supplet, indicatur. Immo iam in versibus 629, 630 rursus legimus: ὡς εὐτυχεῖϑ', ὡς μακαρίως πεπράγατε, ἄλλοι ϑ' ὅσοις μέτεστι τοῦ χρηστοῦ τροποῦ. Atque versu 850 sycophanta, qui omnia bona amisit, in scaenam progreditur, quem virum mox probum esse constituere nusquam legimus. Accedit, quod, licet van Leeuwen hoc modo sententiarum discrepantiam explicare concedamus, difficultates restant, quas ipse agonis habitus praebet.

Plerumque enim agonis scaena ita composita est, ut superior fiat apud actores et spectatores ea cogitatio, de qua in scaenis prioribus agebatur, qua constituitur pars comoediae posterior. Agon est, ut ita dicam, culmen fabulae [3]). In Pluto autem verum fabulae culmen est colloquium, quod Chremylus habet cum Blepsidemo (v. 335 sqq.): Chremylus amico, ut socius sanationis Pluti sit, persuadet, neque quisquam, quin consilium prospere even-

---

[1]) etiam nonnullis priorum scaenarum versibus consilium divitiarum omnibus pariter dividendarum significari Brentano statuit (v. 225, 262, 285), sed his versibus de Chremyli vicinis, qui omnes paupertate premuntur, agitur, neque vero de omnibus hominibus.

[2]) Aristophanis Plutus. Cum Prol. et Comm. ed. J. v. Leeuwen, Lugd. Bat. 1904, ad. v. 461.

[3]) conferas, quae Th. Zielinski in libro praeclaro „Die Gliederung der altattischen Komödie", Lipsiae 1885, de agone exposuerit.

turum sit, dubitat[1]). Tum autem vehementer progressus fabulae adventu Penias et agone ita effecto turbatur.

Sed fortasse de loco atque munere agonis dubitari potest. Aliae autem res plus offensionis habent. Adventus Penias plane est inexspectatus. Neque ulla comoedia invenitur Pluto excepto, in qua alter adversarius non prius, quam agon initium capiat, apparet[2]). Subito Penia progreditur et paulo post rursus abit. Abitus ipse autem plurimum offensionis affert. Perspicuum enim est poetae animum universe cum Penias sententiis consentire; argumenta eius sunt gravia atque ea, quae Chremylus contra dicit, efficaciter a Penia refelluntur. Quae quamquam ita sunt, tamen prorsus praeter exspectationem Penia a senibus depellitur. Animum autem attendas ad versus 608, 609, ubi Penia dicit:

ἦ μὴν ὑμεῖς γ'ἔτι μ'ἐνταυθοῖ
μεταπέμψεσθον.

Quae verba gravissime efferuntur; sed minime, quae dea vaticinatur, accidunt; verba igitur inania sunt atque id tantum agunt, ut Penia vincatur atque depellatur, cum scaenis posteris rursus agatur de ea re, quae principio est proposita fabulae.

Dicat quis poetam comicum magna esse usum licentia in comoediis exstruendis neque curasse constantiam sententiarum[3]). Audio. Sed nobis singulis locis quaerere licet, qua de causa poeta usus sit licentia comicis data. Quomodo igitur res se habet in Pluti agone? Certe Aristophanes agonem aliter fingere poterat, et ita fingere, ut non progressum fabulae vehementer turbaret neque magnas discrepantias efficeret. Scilicet ita poeta agonem componere poterat, ut Chremylus insectaretur Peniam et verbis suis spectatoribus et Peniae persuaderet. Qua igitur re Aristophanes est permotus, ut constantia fabulae neglecta laudes Paupertatis proferret? Quod mihi explicari non posse videtur nisi

---

[1]) cum hoc Chremyli et Blepsidemi colloquio conferri potest illa in Avibus agonis scaena, qua Pithetaerus Avibus, ut urbem condant, persuadet.

[2]) quod etiam Fr. Huebner in dissertatione „De Pluto", Halae 1914 ostendit. — Agonem Nubium, ubi λόγος δίκαιος atque ἄδικος subito progrediuntur et certamen instituunt, prorsus neglegere nobis licet, cum hoc loco comoediae alteram formam perfectam non esse sciamus.

[3]) qua de licentia agit v. Wilamowitz-Moellendorff, Sitzungsberichte der Berl. Akad. der Wiss. 1911.

statuimus Aristophanem sententias agonis iam alicubi invenisse atque, quamquam non prorsus ad fabulam aptae essent, ad usum suum convertisse[1]). Nam Aristophani, si disputationem alienam ad comoediam suam adhibebat, facile, ut illam non nisi per quandam vim in comoediae ordinem inserreret, accidere potuit[2]).

Sed nunc quaeramus, cuius generis fuerit illa disputatio, quam Aristophanes in agone Pluti componendo secutus sit. Certum sane scriptorem nos investigaturos sperare non licet; sed fortasse certum genus litterarum in agone poterimus indagare.

Gercke (Gercke - Norden, Einleitung in die Altertumswissenschaft, t. II., pag. 383) ad Antisthenis dogmata Aristophanem in Pluti agone se applicavisse iudicat („ . . . im Plutos predigt er frei nach Antisthenes das Glück der Armut“). Neque vero hanc opinionem esse rectam puto. Antisthenem enim omnis cultus humani adversarium fuisse satis est certum. Qui summis laudibus extulit Herculem simplicem et laboriosum, sed Prometheum, quia cum igne etiam initia cultus humani hominibus attulisset, vehementer vituperavit[3]). Apud Aristophanem autem, ut ita dicam, Penia, quae homines laborare cogat et ita artificia artesque efficiat, est quasi alter Prometheus.

Atque omnino paupertas apud Aristophanem non laudatur, quod singulis hominibus felicitatem afferat, ut apud Antisthenem vel illos recte vivendi magistros temporum posteriorum, qui

---

[1]) Habemus alterum agonem, qui cum prioribus comoediae scaenis non bene congruat: dico agonem Ecclesiazusarum. Quo certamine cogitatio prorsus nova proponitur, quae valde laxe est coniuncta cum priore de dominatione feminarum consilio: subito enim aequatio bonorum agone commendatur, quae antea omnino commemorata non est (etsi ibi res paulo aliter se habet, cum haec nova res scaenis insequentibus constituatur atque illustretur). Cuius rei causa ex eo est repetenda, quod Aristophanes hoc loco sententiis, quas in Platonis libris de Re publica conscriptis invenerat, incitatus est. Qua de re conferas, quae M. Pohlenz „Aus Platos Werdezeit“, Berol. 1913, in pag. 372 sq., exponit.

[2]) Ne mireris, quod Aristophanem hic libello vel sententiis alterius usum esse credo, reminiscere lepidam illam descriptionem muri aedificationis, quam in Avibus legamus, ex Herodoti libris sumptam esse (conferas Her. I c. 178 et Aves v. 1125 sqq.).

[3]) conferas Th. Gomperz, Griechische Denker, Lipsiae, t. II, p. 123.

homines singulos adiuvare volunt, sed ea de causa, quod ad cultum humanum et ad societatem hominum plurimum valeat. Quod nihil habet miri, cum Aristophanis tempore multum et de ortu progressuque cultus humani et de paupertate disputatum esse sciamus. Quas res facile colligere possumus ex eis, quae de sophistarum sententiis tradita sunt, atque ex fabulis fragmentisque Euripidis[1]).

Sed quod ad genus litterarum illa disputatio, qua usus sit Aristophanes, pertineat, ut intellegamus, illud magni momenti est, quod Paupertatis laudatio ab Aristophane profertur. Forma enim encomii saeculo illo summopere florebat. Gorgias in encomiis conscribendis plurima fuit auctoritate, qui res parvas atque ambiguas fieri arte rhetoris magnas amplasque volebat. Studebat „τοῖς μικροῖς μέγεθος περιθεῖναι" (Isocr. Paneg. 8), censebat „oratoris maxume esse proprium rem augere posse laudando vituperandoque rursus affligere" (Cic. Brut. 46). Imprimis autem Gorgiam aliosque, artem suam ut ostenderent, materias viles vel ambiguas laudandas elegisse notum est. Cuius modi laudationes ad id genus litterarum spectant, quod „παίγνιον" ipsi vocabant (cf. Gorg. Hel. 7)[2]). Non multa paegnia vel encomia nobis sunt tradita, sed recte dicit P. Wendland (Anaximenes von Lamps, pag. 54): „Die bekannten Titel der παίγνια sind offenbar nur einige uns zufällig bezeugte Exempel einer weitverbreiteten Gattung. Permulta enim encomia esse conscripta illo tempore vel Isocrates (Hel. § 1) testatur: εἰσί τινες, οἱ μέγα φρονοῦσιν, ἢν ὑπόθεσιν ἄτοπον καὶ παράδοξον ποιησάμενοι περὶ ταύτης ἀνεκτῶς εἰπεῖν δυνήθωσι"[3]). Alcidamas encomium mortis conscripsit. Isocrates in Helenae prooemio quaedam exulum et mendicorum encomia commemorat. Facile igitur credimus tum etiam ἐγκώμιον Πενίας rhetorem aliquem conscripsisse atque magna cum voluptate Peniam, quam cuncti fere homines odissent metuerentque, omnes res bonas hominibus efficere demonstrasse. Qua in re laudanda rhetor artem suam rei alicuius amplificandae

---

[1]) de Euripidis sententiis bene disseruit Nestle, Euripides, der Dichter der griechischen Aufklärung, Stuttg. 1901.

[2]) quo de παιγνίων genere conferas, quae Maass, Hermae 22, p. 575; Süss, Ethos, p. 55; Pohlenz, Aus Platos Werdezeit, p. 350 afferant.

[3]) de encomiorum inscriptionibus, quae sunt nobis notae, conferas ea, quae collegit Burgess, Epideictic Literature. Studies in Class. Phil. Chicago 1902.

optime potuit ostendere. Atque facile mea quidem sententia Aristophanem in agone exstruendo se ad exemplum encomii Penias ab aliquo sophista conscripti applicasse cogitatione complecti possumus [1]).

Non tamen hanc suspicionem proferrem, nisi in agone Pluti vestigia quaedam encomii illius esse conservata mihi viderentur. Dispositionem scilicet encomii atque ordinem sententiarum accurate nos indagaturos sperare non licet. Summa enim licentia poeta comicus sententiis alienis utitur: eligit ea, quae comoediae suae sint accommodata et permoveant animos audientium: non pauca autem poetae cogitationes alienas ordini fabulae suae inserere cupienti sunt immutanda. Sed tamen quaedam sententiae locutionesque orationum demonstrativarum et laudationum propriae in agone posse indagari mihi videntur.

Ac primum in ea scaena. quam proagonem nominare licet, Penia, qua de re loqui velit, his verbis praedicat (v. 467 sqq.):

καὶ μὴν περὶ τούτου σφῷν ἐθέλω δοῦναι λόγον
τὸ πρῶτον αὐτοῦ · κἂν μὲν ἀποφήνω μόνην
ἀγαθῶν ἁπάντων οὖσαν αἰτίαν ἐμὲ
ὑμῖν δἰ ἐμέ τε ζῶντας ὑμᾶς. εἰ δὲ μή,
ποιεῖτον ἤδη τοῦθ᾽ ὅτι ἂν ὑμῖν δοκῇ.

Verbis ταυτὶ σὺ τολμᾷς, ὦ μιαρωτάτη, λέγειν a Chremylo contra dictis Penia pergit:

καὶ σύ γε διδάσκου · πάνυ γὰρ οἶμαι ῥᾳδίως
ἅπανθ᾽ ἁμαρτάνοντά σ᾽ ἀποδείξειν ἐγώ,
εἰ τοὺς δικαίους φῂς ποιήσειν πλουσίους.

Quibus locis, ut ita dicam, prooemium orationis Penias habemus. Penia et se ipsam plurimum ad felicitatem hominum valere et adversariorum de se ipsa sententiam esse falsam demonstrare vult. Prooemia autem valde similia saepius in orationibus et maxime in encomiis invenimus. Atque optime potest cum illis verbis Penias comparari locus quidam, quam in Gorgiae Helena legimus (§ 2): ἐγὼ δὲ βούλομαι λογισμόν τινα τῷ λόγῳ δοὺς τὴν μὲν κακῶς ἀκούουσαν παῦσαι τῆς αἰτίας, τοὺς δὲ μεμφομένους ψευδομένους ἐπιδεῖξαι. Intendas animum ad eam rem, quod sententiae Penias cum Gorgiae interdum fere ad verbum congruunt:

[1]) Sic iam iudicavit Pohlenz, Aus Platos Werdezeit 372[1].

Plut. v. 467	Gorg. § 2
ἐθέλω δοῦναι λόγον	βούλομαι λογισμόν τινα τῷ λόγῳ δοὺς
v. 473	
πάνυ γὰρ οἶμαι ῥᾳδίως ἁπάνθ' ἁμαρτάνοντά σ' ἀποδείξειν ἐγώ	τοὺς δὲ μεμφομένους ψευδομένους ἐπιδεῖξαι.

Auctor orationis sententiam aliorum esse falsam et rem vel personam a se laudandam laudibus summis esse dignam praedicat [1]).

Unum de hoc orationis Penias prooemio addam. Forma verborum Penias, quae in versibus 468 sqq. legimus, est periodus condicionalis duplex (κἂν μὲν . . . ., εἰ δὲ μὴ . .). Qua cum forma conferas Isocr. or. III, 11: εἰ μὲν γὰρ — ἐμοῦ μὴ δηλώσαντος ἃ βούλομαι ποιεῖν ὑμᾶς — διαμάρτοιτε τῆς ἐμῆς γνώμης, οὐκ ἂν εἰκότως ὑμῖν ὀργιζοίμην· εἰ δὲ — προείποντος ἐμοῦ — μηδὲν γίγνοιτο τούτων, δικαίως ἂν ἤδη τοῖς μὴ πειθομένοις μεμφοίμην (conferas quoque Isocr. or. XII, 38).

Sed de hac re fortasse dubitari potest. Maioris autem momenti mihi esse videtur sententia, quam reddit versus 469: „ἀγαθῶν ἁπάντων αἰτίαν ἐμέ". Quam locutionem denuo in versu 546 legimus, ubi Chremylus interrogat: ἆρά γε, πολλῶν ἀγαθῶν πᾶσιν τοῖς ἀνθρώποις ἀποφαίνω σ' αἰτίον οὖσαν: Quae sententia nobis saepissime in encomiis occurrit: simillima autem sunt verba, quae Phaedrus et Agathon in laudationibus Amoris apud Platonem praebent; conferas maxime haec Phaedri verba (Conv. 178 c): πρεσβύτατος δὲ ὢν μεγίστων ἀγαθῶν ἡμῖν αἴτιός ἐστιν et hanc sententiam Agathonis (195 A): εἷς δὲ τρόπος ὀρθὸς λόγῳ διελθεῖν οἷος οἵων αἴτιος ὢν τυγχάνει (similia verba 194 C et 197 C inveniuntur). Iam in Phaedro Socrates dicit (266 A) Amorem oratione esse laudatum ὡς μεγίστων αἴτιον ἡμῖν ἀγαθῶν. Verisimillimum autem mihi est verba ἀγαθῶν ἁπάντων, μεγίστων αἴτιος encomii fuisse certum τόπον. Atque verba Agathonis in pag. 195 A prolata valde ad praecepta rhetorica spectant. Constat autem Agathonem orationem praebere secundum Gorgiae praecepta compositam. Quibus de causis verba ἀγαθῶν ἁπάντων αἴτιος in Gorgiae doctrina rhetorica aliquid valuisse crediderim [2]). Saepissime locutio ἀγαθῶν αἴτιος nobis apud Isocratem occurrit, imprimis in Panegyrico et

[1]) Conferas quoque Isocr. Bus. 4 et 9, Isocr. Phil. 109, 110, alios locos.

[2]) conferas quoque Pohlenz, Aus Platos Werdezeit, p. 372, 246, qui voces ἀγαθῶν αἴτιος nominat „gorgianisches Stichwort".

in Panathenaico (cf. Paneg. 26: ὅσων δὲ τοῖς ἄλλοις ἀγαθῶν αἴτιοι γεγόναμεν, 76: πλείστων μὲν οὖν ἀγαθῶν αἰτίους καὶ μεγίστων ἐπαίνων ἀξίους). Etiam in praeceptis rhetoricis temporum posteriorum hic terminus nobis occurrit. Iam apud Anaximenem Lampsacenum legimus verba (c. 3, Sp. I 2, p. 30, 10): συλλήβδην δέ, ἐὰν πολλῶν ἄιτιον ἀποφαίνῃς, ἐάν τε ἀγαθῶν ἐάν τε κακῶν, μεγάλα φανεῖται ... Postea in Theonis progymnasmatibus locutionem reperimus (c. 9, Sp. II, p. 113, 7): τὰς πράξεις (virorum) συγκρινοῦμεν προκρίνοντες τὰς καλλίους καὶ τὰς ἀγαθῶν πλειόνων καὶ μειζόνων αἰτίας.

Sed nunc ad aliam rem nos convertamus. Penia apud Aristophanem nobis, ut ita dicam, apparet ut mater hominum et domina adiutrixque opificum. Animum attendas ad verba, quae de se dicat Penia in versu 470: δι' ἐμέ τε ζῶντας ὑμᾶς (nam, ut postea exponitur, nulla civitas sine paupertate exstare potest). Qua cum cogitatione conferas verba Agathonis in pag. 197 A: τίς ἐναντιώσεται μὴ οὐχὶ Ἔρωτος σοφίαν, ᾗ γίγνεταί τε καὶ φύεται πάντα τὰ ζῷα: vel haec, quae in libro „de flatibus" Hippocrateo invenimus (in §§ 3, 4, quibus laudatio aeris quaedam continetur)[1]: τοῖς δ' αὖ θνητοῖσιν ὁ ἀὴρ αἴτιος τοῦ βίου .., τί γὰρ ἄνευ τούτου γένοιτο ἄν; ἢ τίνος οὗτος ἄπεστιν: Atque cum versibus Pluti 510 sqq., quibus artificia non esse posse sublata paupertate exponitur, bene conferri potest Xen. Mem. II 1, 32, ubi Virtus dicit: ἔργον δὲ καλὸν οὔτε θεῖον οὔτε ἀνθρώπινον χωρὶς ἐμοῦ γίγνεται[2]). Penia quoque est domina opificum (v. 532 sq. ἐγὼ γὰρ τὸν χειροτέχνην ὥσπερ δέσποιν' ἐπαναγκάζουσα κάθημαι), qua cum sententia componas Gorg. Hel. 4: λόγος δυνάστης μέγας, vel Hipp. de flatibus 3: ὁ ἀὴρ μέγιστος . . δυνάστης[3]).

Iam vero procedamus ad versum 548:

σὺ μὲν οὐ τὸν ἐμὸν βίον εἴρηκας, τὸν τῶν πτωχῶν ἐπεκρούσω.

Quibus verbis Penia respondet Chremylo, qui diserte vitam hominum pauperum miserrimam descripserit. Secernit Penia vitam

---

[1]) de hoc encomio cf. C. Maass, Hermae 22.

[2]) in hac de Hercule in bivio fabula nonnullae res, quae ad artem rhetoricam spectant, inveniuntur; qua de re conferas J. Alpers, Hercules in bivio, Gott. Diss. 1912, p. 11.

[3]) conferas quoque verba Agathonis (Conv. 197 E): Eros est κυβερνήτης ἐπιβάτης παραστάτης τε καὶ σωτὴρ ἄριστος . . . Conferas de huiusmodi laudibus Wendland, Anax. v. Lamps. p. 29 sqq.

pauperis et mendici: mendicus nihil possidet, pauper pauca, sed quae satis sint ad vivendum. Prope autem accedunt verba, quae in illa de Hercule narratione (Xen. Mem. II 1, 26) legimus. Pravitas enim dicit: οἱ μὲν ἐμοὶ φίλοι καλοῦσί με Εὐδαιμονίαν, οἱ δὲ μισοῦντες με ὑποκοριζόμενοι ὀνομάζουσιν Κακίαν. Cuiusmodi distinctiones in arte rhetorica quadam fuisse auctoritate crediderim. Neque me, quin illam paupertatis et mendicitatis distinctionem non a poeta ipso excogitatam esse statuam, retinere possum, cum ad finem quo fabula tendit, nihil afferat.

Unam rem ad extremum afferam. In versibus 557 sqq. lepidam σύγκρισιν pauperum atque divitum invenimus. Syncrisis autem in encomiis fuit summi momenti: qua collatione plerumque sub finem laudationis virtutes rei vel personae laudatae illustrantur. Conferri potest illa pauperum et divitum σύγκρισις cum collatione Ἔρωτος καὶ Ἀνάγκης, quam in fine orationis ab Agathone praedicatae legimus (Conv. 197 C)[1]. Plane autem secundum encomii morem apud Aristophanem magna cum veritatis superlatione omnes virtutes in rem laudandam, in alteram omnia vitia conferuntur.

Quodsi haec — atque alia, quae proferre tanti non est — ad fulciendam meam sententiam non sufficiunt, ad aliam rem accedamus. Beneficia sua Paupertas ita comprobat, ut primum ostendat se sapientiam hominibus dare (v. 510 sqq.), quae sententia gravissima apud Aristophanem uberius tractatur. Tum postquam inter mendicitatem et paupertatem distinxit, v. 563 pergit:

περὶ σωφροσύνης ἤδη τοίνυν περανῶ σφῷν κἀναδιδάξω,
ὅτι κοσμιότης οἰκεῖ μετ᾽ ἐμοῦ, τοῦ Πλούτου δ᾽ ἐστὶν ὑβρίζειν.

V. 567 ita ad novam rem transit, ut dicat

σκέψαι τοίνυν ἐν ταῖς πόλεσιν τοὺς ῥήτορας, ὡς ὁπόταν μέν
ὦσι πένητες, περὶ τὸν δῆμον καὶ τὴν πόλιν εἰσὶ δίκαιοι,
πλουτήσαντες δ᾽ ἀπὸ τῶν κοινῶν παραχρῆμ᾽ ἄδικοι γεγένηνται.

Quodsi addimus, quae in versu 561 legimus:

παρ᾽ ἐμοὶ δ᾽ ἰσχνοὶ καὶ σφηκώδεις καὶ τοῖς ἐχθροῖς ἀνιαροί,

---

[1]) conferas quoque collationem σοφίας καὶ ἀνδρείας, quam apud Aphthonium in encomio σοφίας legimus (Sp. II, 39, 40). Syncrisis tractata est ab Oscaro Hense, Die Syncrisis in der antiken Literatur, Frib. 1893.

quae verba ἀνδρείαν pauperum nobis ante oculos ponunt, sententias Penias orationum fere distribui posse inter illas quattuor virtutes principales videmus, quae nobis persaepe in virorum encomiis occurrant[1]). Conferas Xenophontis Agesilaum (c. 3—6) vel Isocratis Euagoram (§ 22 κάλλος, ῥώμη et σωφροσύνη, 23 ἀνδρεία, σοφία, δικαιοσύνη describuntur). Atque opiner auctorem illius encomii, ad quod Aristophanes se applicaverit, secundum quattuor virtutes, quas paupertas in hominibus efficiat, sententias disposuisse. Accuratius quicquam dici non potest; Aristophanem enim nonnulla addidisse (ut versus 518—21), nonnulla immutavisse verisimillimum est. Unum autem afferre mihi liceat. Aristophanes partem primam uberius tractat: tum transit ad mediocritatem et bonam corporis valetudinem: quo loco oratio fit valde pressa: in versu 561 verbis τοῖς ἐχθροῖς ἀνιαροὶ fortitudo significatur; deinde dicit Penia (v. 563):

περὶ σωφροσύνης ἤδη τοίνυν περανῶ σφῷν κἀναδιδάξω.

Certe vix cogitari potest Aristophanem, si agonem plane e suo ingenio composuisset, hoc modo quattuor illas virtutes commemoraturum fuisse.

Unum denique addam. Penia in versu 558 praedicat: τοῦ Πλούτου παρέχω βελτίονας ἄνδρας καὶ τὴν γνωμὴν καὶ τὴν ἰδέαν, rursus autem in versu 576 legimus verba: ὅτι βελτίους αὐτοὺς ποιῶ. Penia efficit, ut homines, qui eam sequuntur, meliorem animi et corporis valetudinem nanciscantur. Quae sententia nobis revocare potest memoriam sophistarum, qui διδασκάλους τῆς ἀρετῆς se esse profitebantur[2]). Maxime conferas locum Protagorae Platonici, ubi sophistes dicit Hippocrati: ἔσται τοίνυν σοι, ἐὰν ἐμοὶ συνῇς, ᾗ ἂν ἡμέρᾳ ἐμοὶ συγγένῃ, ἀπιέναι οἴκαδε βελτίονι γεγονότι (p. 318 A). Sophistarum igitur morem sequitur Penia, cum promittit se pauperes homines meliores effecturam esse. Sed satis sit quaesitum de his rebus[3]).

---

[1]) de his encomiis conferas F. Leo, Griechisch-römische Biographie, et Seyffert, De Xenophontis Agesilao, Diss. Gott. 1909.

[2]) qua de re conferas Pohlenz, Aus Platos Werdezeit, p. 193 sq.

[3]) non sum nescius nobis in huiusmodi rebus percaute esse dicendum. Qua de causa non multum momenti tribuam eis verbis, quae legimus in versibus 572 sq.: (Chremylus dicit) lacrimabis, ὁτιὴ ζητεῖς τοῦτ' ἀναπείθειν ἡμᾶς, ὡς ἔστιν ἄμεινον Πενία Πλούτου. Quae verba nobis facile oratorem, qui velit aliquid ἀναπείθειν, in animum reducunt!

Hoc ex eis, quae disputavi, sequi videtur: non paucae res, ut encomium aliquod Penias Aristophanem in Pluti agone ad usum suum convertisse statuamus, nos incitant, quod encomium secundum quattuor virtutes principales dispositum fuisse videtur.

Valde sane est dolendum, quod nobis encomium aliquod Penias tempore priore compositum non est conservatum. Sed in libris Romanis temporis multo posterioris laudatio quaedam Paupertatis nobis occurrit: Apuleius enim Apologiae inseruit laudes Paupertatis valde rhetorice conscriptas (cap. 18 sqq.). Quod encomium, cum ad quaestionem nostram alicuius momenti sit, nonnullis verbis tractare nobis liceat[1]). Laudes Paupertatis ab Apuleio hic prolatae discernendae sunt in encomium verum (c. 18) atque in disputationes quasdam de paupertate morales (c. 19—22), quae a nobis neglegi possunt.

Apuleius primo Paupertatem ita laudat, ut in eam multas virtutes prorsus encomiastice conferat, quae ratio nobis revocare potest memoriam verborum Penias Aristophaneae quorundam (imprimis cogites de versu 469: ἀγαθῶν ἁπάντων οὖσαν αἰτίαν ἐμέ). Tum Paupertatem neminem corrupisse exponitur (cf. Plut. v. 557 sqq., maxime v. 567: Plutus corrumpit oratores). Quam partem sequitur σύγκρισις divitum atque pauperum valde paradoxa et cum magna veritatis superlatione conscripta: omnia facinora ad divites, omnes actiones bonae ad pauperes conferuntur, quae σύγκρισις prorsus cum Pluti versibus 557—570 congruit. Deinde hae sententiae pronuntiantur: „paupertas, inquam, prisca apud saecula omnium civitatum conditrix, omnium artium repertrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriae munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta. Eadem enim est paupertas apud Graecos in Aristide iusta, in Phocione benigna, in Epaminonda strenua, in Socrate sapiens, in Homero diserta". Invenimus hoc loco sententias cum agonis argumento valde congruentes. Maxime autem est notandum etiam hic virtutes illas quattuor reperiri a Paupertate effectas (quinta eloquentiae virtus apud Apuleium est addita). Ad postremum Apuleius ad Romanos transit atque etiam apud Romanos multum valuisse paupertatem demonstrat.

---

[1]) cur Apologiae inseruerit Apuleius laudationem Paupertatis, exponit Schanz, Gesch. d. röm. Lit., t. III, p. 120 sq.

Negari non potest quandam similitudinem inter sententias de paupertate ab Aristophane prolatas et encomium ab Apuleio conscriptum exstare[1]). Apuleium laudationem suam debere scholis rhetorum certum mihi videtur[2]). Atque alias etiam paupertatis laudationes illis temporibus notas fuisse declarant verba Menandri περὶ ἐπιδ. (Sp. III, 346, 17): (agitur de encomiis paradoxis) παράδοξα δὲ οἷον Ἀλκιδάμαντος τὸ τοῦ θανάτου ἐγκώμιον ἢ τὸ τῆς Πενίης Πρωτέως τοῦ κυνός. Quem locum corruptum esse nec certa ratione restitui posse valde dolendum est, cum, cui sit attribuendum illud Penias encomium vel quo tempore ortum sit, iam nesciamus[3]). Hoc autem certum est encomia paupertatis in litteris Graecorum exstitisse neque quicquam obstat, quin iam Aristophanis aetate ea conscripta sint.

Excursus.

Fortasse mihi aliquis opponet in universum quandam similitudinem intercedere inter agonem comoediae atque encomium. Quod negari non potest neque est mirum. Nam in agone quoque res quaedam ab opprobriis defendi laudibusque efferri solet, quae res secundum comoediae morem saepe exspectationi audientium adversatur. Sed tamen multum agonem comoediae ab encomio differe nobis, si nonnullos agones examinaverimus, facile apparebit.

Velut in agone Vesparum virtutes et incommoda vitae iudicum ostenduntur. Philocleon vitam suam diserte describit atque laudat. Incipit verbis (v. 513, 514):

ἀλλ' ἐὰν σιγῶν ἀνάσχῃ καὶ μαθῇς ἁγὼ λέγω,
ἀναδιδάξειν οἴομαί σ' ὡς πάντα ταῦθ' ἁμαρτάνεις.

Quo loco invenimus vituperationem adversarii errantis, de qua

---

[1]) unum addam ad ea, quae dixi: si apud Apuleium legimus verba „quemcumque in aliqua laude miramur, eum paupertas ab incunabilis nutricata est", facile reminiscimur illorum Aristophanis locorum, ubi Paupertas appareat ut mater et domina hominium (cf. maxime versus 533—535).

[2]) qua de re conferas, quae infra, in pag. 75 sq, afferam.

[3]) locus diversa ratione est traditus; maior pars codicum habet ἢ τὸ τῆς Πενίης Πρωτέως τοῦ κυνός, Med. 1. 2 post verbum Πενίης addunt ἢ τοῦ. Lectio ἢ τὸ τῆς Πενίης Πρωτέως τοῦ κυνός, quae melius tradita esse videtur, magis mihi arridet; encomium enim Paupertatis bene cum Mortis laudatione coniungitur, non autem encomium Protei cynici. Atque encomium Protei estne παρὰ δόξαν? Sed hauc quaestionem diiudicare non possum.

supra nonnulla dixi (cf. pag. 9). Deinde Philocleon potestatem auctoritatemque iudicum ordinis demonstrat (v. 548, 549):

καὶ μὴν εὐθύς γ' ἀπὸ βαλβίδων περὶ τῆς ἀρχῆς ἀποδείξω
τῆς ἡμετέρας ὡς οὐδεμιᾶς ἥττων ἐστὶν βασιλείας.

Prorsus secundum encomii morem hic verba cum magna veritatis superlatione proferuntur. Alias autem res, quae congruant cum encomio, in hoc certamine non invenimus. Immo sequitur enumeratio virtutum vitae iudicis propriorum, qua depingantur res parvae vitae cotidianae lepide atque comice. Quae descriptio multum a rhetorum declamationibus distat. In ceteris autem agonibus nihil quibusdam verbis exceptis nobis encomium in memoriam revocat.

Etiam in parabasibus nonnullis aliquid laudatur vel vituperatur. Lepidissime autem Thesmophoriazusarum parabasis, quantopere verba comici ab encomio rhetorico differant, nobis ostendit. Legimus enim in parabasi laudationem feminarum et virorum vituperationem. Atque vere secundum comoediae morem singulae certae feminae cum viris suis comparantur. Poeta igitur comicus rem non tractat more rhetoris audientes docens atque rem accurate disponens, sed rem comico modo exemplis perspicuis lepidisque illustrans (aliter res sane se habet, si poeta de se ipso loquitur in parabasi vel res quasdam ad civitatem pertinentes severe tractat).

Unum concedo: facile fieri posse, ut hic illic poeta locutionem aliquam orationis et encomii propriam adhibeat, sive conscius sibi sit eius rei sive non sit. Cuius rei exemplum afferam: in Acharnensium parabasi legimus haec verba (v. 633):

φησὶν δ' εἶναι πολλῶν ἀγαθῶν ἄξιος ὑμῖν ὁ ποιητής

atque rursus in versu 641:

ταῦτα ποιήσας πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιος ὑμῖν γεγένηται.

Sed longe aliter rem se habere in Pluti agone demonstravisse mihi videor. Nam ibi non tantum singula verba vel sententiae, sed tota dispositio conformatioque disputationis ad exemplar laudationum rhetoricarum nos revocant.

II.

De laudibus Inopiae similibus, quae apud alios scriptores leguntur.

1. apud scriptores, qui Aristophani aetate antecedunt aut sunt aequales.

Etsi satis gravibus argumentis adducimur, ut Aristophanem in agone Pluti fingendo encomium aliquod Penias sophisticum in usum suum convertisse putemus, tamen hanc quaestionem fortasse non ita, ut nihil restet dubii, diiudicari posse concedo. Sed hoc certe me demonstraturum spero sententias a Penia in agone prolatas Aristophanis temporibus etiam ab aliis scriptoribus tractatas esse. Atque primum ostendam complures apud scriptores, qui fuerint vel ante Aristophanem vel temporibus huius poetae, nos sententias legere, in quibus summae agonis, ut ita dicam, quasi quaedam radices sunt sitae. Qua in re respicienda sunt nobis Hesiodi Opera atque complures initiorum generis humani descriptiones, quae tempore Aristophanis excultae erant.

Incipiam ab **Hesiodo.** Qui non veram laudem paupertatis praebet; neque enim aliter de divitiis iudicat quam poetae homerici, qui divitias hominibus esse appetendas praedicant. „Divitias sequuntur honor et auctoritas“ (v. 312). Sed Hesiodus etiam haec exponit: illa tempora, quibus homines beati et laeti, sine curis et laboribus vivebant, Iovis consilio abierunt neque umquam redibunt; homines autem, qui nunc sunt, laboribus atque egestate premuntur, qua de causa eos, ut e miseria ad vitam meliorem ascendant, industrie laborare necesse est.: „τῆς δ᾽ ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν“ (v. 289). Is autem, qui laborat, miseriis se liberare potest. v. 299, 300:

ἐργάζευ, Πέρση, δῖον γένος, ὄφρα σε Λιμὸς
ἐχθαίρῃ, φιλέῃ δέ σ᾽ ἐυστέφανος Δημήτηρ.

Neque enim homo egens, nisi laborat curatque, quicquam sibi comparare potest. v. 306:

. . . . . σοὶ δ᾽ ἔργα φίλ᾽ ἔστω μέτρια κοσμεῖν,
ὥς κέ τοι ὡραίου βιότου πλήθωσι καλιαί.

Conferas quoque versus 308, 309:

ἐξ ἔργων δ' ἄνδρες πολύμηλοί τ' ἀφνειοί τε
καὶ ἐργαζόμενοι πολὺ φίλτεροι ἀθανάτοισιν.

Hesiodus igitur homines, ut laborantes e miseria curisque ad vitam securam atque iucundam perveniant, admonet. Pauperibus est laborandum, sed laborantes paupertatem evincunt.

Hesiodi sententiae ab Aristophanis cogitatione magnopere ea re differunt, quod apud illum paupertas prorsus in malis numeratur [1]. Sed apud Hesiodum etiam „bonae Eridis" laudem invenimus (v. 17 sqq.): pauper, qui virum divitem vitam securam degere videt, ut ipse dives fiat, agros colit et laborat. Qua sententia facile, ut Hesiodum laborem salutarem esse iudicavisse putemus, adducimur. Magis autem haec cogitatio in illa de Pandora fabula praedicatur. Qua in narratione praeclara spem in fundo dolii a Pandora aperti remansisse e Jovis consilio enuntiatur (v. 96—99):

μούνη δ' αὐτόθι Ἐλπὶς ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισι
ἔνδον ἔμιμνε πίθου ὑπὸ χείλεσιν, οὐδὲ θύραζε
ἐξέπτη· πρόσθεν γὰρ ἐπέμβαλε πῶμα πίθοιο
αἰγιόχου βουλῆσι Διὸς νεφεληγερέταο.

Etsi hic locus magnas difficultates praebet — nec meum est hic accurate de illo agere [2]) — tamen bona Eris nos invitare

---

[1]) similem sententiam etiam Theognis protulit (v. 155, 156):

χρὴ γὰρ ὁμῶς ἐπὶ γῆν τε καὶ εὐρέα νῶτα
δίζησθαι χαλεπῆς, Κύρνε, λύσιν πενίης.

Sed Theognidi, qui optimatium causam agit, paupertas prorsus est mala, quam homo omni modo effugere debeat. Laboris autem laudem non novit.

[2]) conferas, quae de hac re dicit Birt, Elpides, Marb. 1881, adn. 108. Explicatio autem, quam ipse praebet, nimis artificiosa mihi esse videtur. Alias interpretationes nuper Ed. Meyer (Genethliacon für Robert, Berol. 1910, p. 157 sqq.) et Ed. Schwartz (Sitzungsber. d. preuß. Akad. d. Wiss. 1915) protulerunt. Sed utraque opinio mihi displicet. Nam etiam Ed. Meyeri sententia (spes malis ab Hesiodo opponitur: sed incerta est, itaque in margine dolii sub operculo imposito residet) parum simplex mihi esse videtur. Explicatio autem, quam Ed. Schwartz praebet (dolium in terram infossum copias, quae homini sunt necessariae ad vivendum, significat; ubi mulier copias dispergit neque quicquam nisi spes relinquitur, nihil est homini ad vitam degendam, nam, quem spes alit, fame moritur), quamquam quasdam difficultates in sententiarum conexu positas tollit, vel ea de causa mihi displicet, quia non bene cum Hesiodi de Eride et labore sententiis convenit. Sed uberius de hac re hic non agam; accuratius de hoc loco Pohlenz magister, qui similiter de Operum versibus iudicat, agere in animo habet.

potest, ut etiam Elpidem in bonis numerandam esse censeamus [1]). Atque hanc Hesiodi sententiam fuisse puto: mala, in quibus est paupertas, nunc necessaria sunt:

(v. 42) κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισι
(v. 47, 48) ἀλλὰ Ζεὺς ἔκρυψε χολωσάμενος φρεσὶν ᾗσιν,
ὅττι μιν ἐξαπάτησε Προμηθεὺς ἀγκυλομήτης,

sed Juppiter etiam hoc effecit, ut Elpis et bona Eris hominem ad laborem incitent, labor autem est salutaris atque utilis. Quae sententia nondum est agonis Aristophanei cogitatio, sed eius quoddam fundamentum [2]).

Spes autem in litteris temporum posteriorum saepe nobis occurrit. Cum Pluto eam coniunctam apud Epicharmum invenimus, qui conscripserit comoediam „Ἐλπὶς ἢ Πλοῦτος". Quam arte cum Aristophanis Pluto cohaerere cum Birt opinetur, nonnullis verbis hanc quaestionem tangam.

Atque Birt quidem opinatur in comoedia Epicharmi Plutum oppositum fuisse Spei, et illi quidem Spei, quae pauperes ad laborandum incitet atque ita artificia et cultum hominum meliorem efficiat. Quae spes valde esset cognata Peniae Aristophanis. Atque, si Birtii opinio esset recta, Epicharmi comoedia sententiam praeberet, quae apte nos ab Hesiodi sententiis ad agonem Aristophanis traduceret. Sed res mihi valde dubia est.

Primum enim, utrum inscriptio agonem significet necne, dubitari potest. Comoediae Epicharmi, quae Γᾶ καὶ Θάλασσα, Λόγος καὶ Λογίνα inscribuntur, agones fuisse videntur; sed inscriptio Ἐλπὶς ἢ Πλοῦτος, non Ἐλπὶς καὶ Πλοῦτος nobis est tradita! Neque omnino omnes inscriptiones comoediarum Epicharmi, quibus duae res diversae significantur, agones fuisse videntur. In Epicharmi comoedia de spe pauperum esse actum ego quoque opinor. In excerpto ἐκ τοῦ περὶ συγκρίσεως πλούτου καὶ ἀρετῆς (Stob. XXXI 34, p. 744 H) Plutus gloriatur spe mercedis homines ad labores inci-

---

[1]) quam rem ut statuam, etiam his verbis Theognidos adducor (v. 1135, 1136):
ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποισι μούνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστιν,
ἄλλοι δ' Οὔλυμπόνδ' ἐκπρολιπόντες ἔβαν.
Quo loco Theognis Hesiodum secutus esse mihi videtur.

[2]) cum ita de Hesiodi elpide iudicem, versum αἰγιόχου βουλῇσι Διὸς νεφεληγερέταο, quem Rzach et alii delent, Lehrs, Schoell, Schwartz defendunt, retinendum esse puto.

tari: Democritus in fragmento 185 (Diels) ἐλπίδας πεπαιδευμένων divitiis ἀμαθῶν opponit. Itaque inscriptionem comoediae spem pauperum et divitias significasse facile putamus. Sed cuiusmodi fuit spes pauperum apud Epicharmum? Apud Hesiodum spes est salutaris. est illa, quae pauperes ad laborandum adducit. Sed exstat quoque altera spes, spes valde inutilis inanisque. Etiam Hesiodus hanc spem, quae desidiam hominum efficiat, novit (v. 493). Quae δυσελπιστία saepe in libris de recte vivendo scriptis occurrit. Iam Antiphon sophista dicit (fr. 601. Diels): ἐλπίδες δ' οὐ πανταχοῦ ἀγαθόν· πολλοὺς γὰρ τοιαῦται ἐλπίδες κατέβαλον εἰς ἀνηκέστους συμφοράς. Theognis quoque spem malam et bonam discernit (v. 591 sq.)[1]. In nullo autem Epicharmi comoediae fragmento sententiam invenimus Aristophaneam vel argumento agonis similem: parasiti autem mores, cui in Epicharmi comoedia magnae partes tributae fuisse videntur, contrariae sunt moribus viri industrie laborantis neque ulla res nos adducit, ut talem virum laboriosum in Epicharmi fabula exstitisse putemus. Atque veri dissimile est Epicharmi fabulas multas personas habuisse. Accedit alia res, qua permoveor, ne cum Birtio Epicharmi comoediam ad Aristophanis agonem magni momenti fuisse putem. Etsi enim spes pauperis cognata est paupertati (si de illa spe agitur, quae homines ad laborandum incitat), tamen spes et paupertas non inter se sunt aequales. Paupertas enim homines ita ad laborandum cogere potest, ut nihil nisi necessitas acerba, non iam spes pauperem incitet. Atque Aristophanes in agone necessitatem et egestatem premit (v. 533. 534): . . . ἐγὼ γὰρ (Penia)

τὸν χειροτέχνην ὥσπερ δέσποιν' ἐπαναγκάζουσα κάθημαι
διὰ τὴν χρείαν καὶ τὴν πενίαν ζητεῖν ὁπόθεν βίον ἕξει,

spem autem prorsus neglegit!

Quibus de causis mihi veri dissimile est Aristophanem in agone Pluti ad Epicharmi fabulam se applicavisse. Ego quidem crediderim in hac comoedia de spe vana inutilique esse actum et spem Epicharmi multum ab Elpide Hesiodi afuisse.

Cum vero spem in litteris temporum posteriorum non parvi

[1]) v. Wilamowitz-M. (Sappho und Simonides. Berol. 1913, p. 272) demonstrat a Graecis, cum de vita meditari coepissent, spem saepe in malis esse numeratam. Affert autem illam Solonis elegiam εἰς ἑαυτὸν: (v. 36) χάσκοντες κούφῃς ἐλπίσι τερπόμεθα.

fuisse momenti Birt satis dilucide exposuerit in libello „Elpides“, unum mihi animadvertendum esse videtur[1]): etiam illis locis, ubi de spe bene existimatur, cogitatio paulum a sententia Aristophanea discedit: hic necessitas, ibi spes premitur.

Nobis autem Hesiodi de Elpide sententia respicienda fuit, quod ea quasi radicem cogitationis Aristophaneae praebebat. Sed quoniam haec absolvimus, ad illos libros procedamus, in quibus alteram quandam radicem sententiae Aristophaneae sitam videamus, ad descriptiones initiorum generis humani.

De initiis atque progressu generis humani antiquis temporibus duae sententiae contrariae exstiterunt: aut exponebatur (quae sententia iam ante Hesiodum exstitisse videtur, qui eam suo more immutatam propagavit) olim saeculum aureum fuisse, e quo gradatim homines ad praesentem vitam miseram delaberentur, aut homines paulatim e miseria temporis antiquissimi ad cultum meliorem ascendisse demonstrabatur. Atque ii, qui primi hanc sententiam complectebantur, primo deos vel heroes hominibus cultum meliorem comparavisse putabant; ut apparet ex oratione de donis deorum a Theseo habita, quam in Euripidis Supplicibus v. 195 sqq. legis, et ex illa Promethei ut artium magistri laude, quam ad pervulgandam Aeschyli tragoedia multum valuisse videtur[2]).

---

[1]) unam praeterea rem tangam. In fragmentis nonnullis comoediae posterioris illam de Elpide artium magistra sententiam mire immutatam legimus: spem homines ad artificia exercenda incitare praedicatur, sed artificia vituperantur, quia ut homines miseri vitam perducant neque eius finem faciant, perficiunt. Conferas Menandri fr. 14:

ὁ πρῶτος εὑρὼν διατροφὴν πτωχῷ τέχνην
πολλοὺς ἐπόιησεν ἀθλίους· ἁπλοῦν γὰρ ἦν
τὸν μὴ δυναμένον ζῆν ἀλύπως ἀποθανεῖν

et fr. 123 Antiphanis:

ἡμεῖς δ' ἔχοντες ἀρραβῶνα τὴν τέχνην
τοῦ ζῆν ἀεὶ πεινῶμεν ἐπὶ ταῖς ἐλπίσιν.

Spes, quae olim, quod homines ad laborandum invitaret, laudata est, nunc ob eandem rem vehementer vituperatur. Illae igitur Elpidis laudes, quae primum apud Hesiodum nobis occurrunt, valde sunt immutatae!

[2]) Aeschylus uberius Prometheum homines omnia bona sibi debere narrantem facit: πᾶσαι τέχναι βροτοῖσιν ἐκ Προμηθέως (v. 505). Conferas de Prometheo Roscher, Myth. Lex. III 2, p. 3038 sqq. et v. Wilamowitz-M., Aeschylos-Interpretationen, Berol. 1914.

Sed in his sententiis non diu perseverabant. Iam enim Xenophanes dicit (fr. 18):

οὔτοι ἀπ' ἀρχῆς πάντα θεοὶ θνητοῖς ὑπέδειξαν.
ἀλλὰ χρόνωι ζητοῦντες ἐφευρίσκουσιν ἄμεινον.

Homines igitur ipsi paulatim res meliores inveniunt. Atque etiam illud canticum Sophoclis „πολλὰ τὰ δεινὰ κοὐδὲν ἀνθρώπου δεινότερον πέλει" (Ant. v. 332sqq.) hanc de vi hominum cogitationem praebet. Imprimis autem sophistae, quos dicimus, cum de progressu generis humani agerent, non in deis vel heroibus, sed ipsis in hominibus progressus causam sitam fuisse statuerunt. Quorum iam principem **Protagoram** de initiis cultus humani egisse notum est: librum enim Protagorae „περὶ τῆς ἐν ἀρχῇ καταστάσεως" [1], quem Diogenes Laertius IX 55 commemoret, ad initia hominum cultus pertinere certum videtur [2]. Praeterea autem summam sententiarum illius fabulae, quam Plato in Protagora sophistam fecerit narrantem, Protagorae ipsi esse tribuendam satis probabile est [3], etsi hac narratione non nisi percaute uti nobis licere facile intellegitur. Sed iam ipsam narrationem examinemus.

---

[1]) vox κατάστασις omnem constitutionem vel statum alicuius rei significare potest (cf. Eur. Hipp. 1291: ἄκουε, Θησεῦ, σῶν κακῶν κατάστασιν, audi tuorum malorum statum; vel Herod. II 173, ubi κατάστασις πραγμάτων est constitutio vel divisio negotiorum). In libris hippocraticis κατάστασις ad condicionem corporis significandam adhibetur; Herodotus (ut V 92), Isocrates (ut III 26) aliique voce κατάστασις utuntur, ut constitutionem rei publicae vel urbis significent (κατάστασις πόλεως, πραγμάτων). Etiam in doctrina rhetorica vox κατάστασις aliquid valebat. Corax enim ita institutionem rei tractandae nominavit (cf. Wendland, Anax. v. L. p. 30), qui verbi usus rursus apud Anaximenem (p. 59, 15 Sp.) invenitur. Apud Protagoram autem de condicione hominum priscorum, de primis formis communis vitae actum esse puto (Diels: „Anfänge der menschlichen Gesellschaft"); similiter enim vox adhibetur in Moschionis tragici fragmento sexto, quo initia hominum describuntur:

πρῶτον δ' ἄνειμι καὶ διαπτύξω λόγῳ
ἀρχὴν βροτείου καὶ κατάστασιν βίου.

Quo de Moschionis fragmento conferas pag. 31 sq.

[2]) qua de re conferas, quae Norden, Agnostos Theos. Berol. 1913, p. 370 sqq. exposuerit.

[3]) conferas, quae de hac re iudicent M. Pohlenz, Aus Platos Werdezeit, p. 92; H. Gomperz, Sophistik und Rhetorik, p. 159 sqq.; Th. Gomperz, Griech. Denker I[3], p. 313; Gunning, de sophistis Graeciae praeceptoribus, Amsterd. 1915, p. 78 sqq.

Protagoras apud Platonem, quomodo factum sit, ut homines iustitiam exercerent et leges colerent, demonstrare vult. Quam ad rem illustrandam suam de initio generis humani narrationem praeponit. Mythi autem forma ludens utitur, quia illas de Prometheo cogitationes populares respicere vult. Etiam apud Protagoram Prometheus cultum meliorem hominibus donat (cf. pag. 320 D—322 D). Heros enim, cum hominem γυμνὸν καὶ ἀνυπόδητον καὶ ἄστρωτον καὶ ἄοπλον videat, ab Athena et Hephaesto τὴν ἔντεχνον σοφίαν σὺν πυρὶ furatur (ἡ ἔντεχνος σοφία est „σοφία περὶ τὸν βίον“). Quam sapientiam homines cum acceperint, artes invenire possunt: ἐπειδὴ δὲ ὁ ἄνθρωπος θείας μέτεσχε μοίρας, πρῶτον μὲν διὰ τὴν τοῦ θείου συγγένειαν ζῴων μόνον θεοὺς ἐνόμισεν . . . ἔπειτα φωνὴν καὶ ὀνόματα διηρθρώσατο τῇ τέχνῃ καὶ οἰκήσεις καὶ ἐσθῆτας καὶ ὑποδέσεις καὶ στρωμνὰς καὶ τὰς ἐκ γῆς τροφὰς ηὕρετο. Tamen adhuc homines σποράδην vivunt atque homo est πρὸς τὸν τῶν θηρίων πόλεμον ἐνδεής. Conatus autem civitatis condendae, cum hominibus desit ἡ πολιτικὴ τέχνη, non prospere evenit. Sed postquam etiam haec ars a Jove est accepta, convictus hominum certa ratione constituitur.

Etsi autem non omnino certum est, quid hic Protagorae ipsi debeatur, tantum apparet Promethei personam ob eam tantum rem arripi, quia mythi forma Protagoras utatur. Si rem ipsam spectamus, e vita rudi, quam bestiarum modo olim agebant, paulatim homines ad meliorem statum ascendunt, quem progressum „σοφία ἔντεχνος“ et „σοφία πολιτική“ efficiunt. Atque apertum mihi esse videtur maxime sophistam indolem atque ingenium hominum pressisse, cf. (p. 322 A): ἐπειδὴ δὲ ὁ ἄνθρωπος θείας μοίρας μέτεσχε, πρῶτον μὲν διὰ τὴν τοῦ θείου συγγένειαν ζῴων μόνον θεοὺς ἐνόμισεν . . . Homines igitur ad cultum meliorem pervenire possunt, cum iis solis a deo ingenium ad hunc progressum sufficiens sit datum. Neque vero prius de Protagorae sententiis accuratius iudicare poterimus, quam nonnullas alias cultus orientis descriptiones perspexerimus.

Invenimus enim nonnullas descriptiones, in quibus progressus hominum non tam naturae hominum quam necessitati cuidam tribuantur. Velut in libro περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς, qui in Hippocratis librorum corpore nobis est traditus (qui liber sub finem saeculi a. Chr. n. quinti conscriptus esse videtur), haec legimus (c. 3): homines aegroti non eodem cibo vesci possunt atque sani. νῦν δὲ

αὐτὴ ἡ ἀνάγκη ἰητρικὴν ἐποίησεν ζητηθῆναι τε καὶ εὑρεθῆναι ἀνθρώποισιν: non igitur indoles humana ad medicinam inveniendam suffecit, sed necessitas, ut medicina ab hominum indole quaereretur atque inveniretur, effecit. Agitur hic de ortu progressuque artis medicorum, sed haec ratio non medicinae est propria, sed omnium artium communis. Ad hunc autem librum alter addi potest, qui item tempori sophistarum est attribuendus, dico fragmenta illa sophistae cuiusdam, quae Blass (Kieler Programm. 27. I. 1889) e Protreptico Iamblichi (c. 20) eruit atque quae Anonymi Iamblichi fragmenta nominare solemus[1]. Fragmento enim sexto auctor, ut libidinem vituperandam, ordinem laudandum esse demonstret, necessitatem cultum humanum societatemque hominum effecisse exponit: εἰ γὰρ ἔφυσαν μὲν οἱ ἄνθρωποι ἀδύνατοι καθ' ἕνα ζῆν, συνῆλθον δὲ πρὸς ἀλλήλους τῇ ἀνάγκῃ εἴκοντες, πᾶσα δὲ ἡ ζωὴ αὐτοῖς ἥυρηται καὶ τὰ τεχνήματα πρὸς ταύτην, σὺν ἀλλήλοις δὲ εἶναι αὐτοὺς κἂν ἀνομίᾳ διαιτᾶσθαι οὐχ οἷόν τε . . . διὰ ταύτας τοίνυν τὰς ἀνάγκας τόν τε νόμον καὶ τὸ δίκαιον ἐμβασιλεύειν τοῖς ἀνθρώποις. Necessitati igitur cedentes homines in unum locum coierunt et artes invenerunt: necessitas etiam, ut leges et iustitia orerentur, effecit. Eadem igitur sententia nobis in libro hippocratico atque apud Anonymum occurrit. Uterque autem scriptor, et auctor libri περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς, qui hanc universi generis doctrinam ad artem medicorum adhibeat, et Anonymus Iamblichi, quem non multum proprii vel novi praebere certum sit, sine dubio sententiis utitur, quae illis temporibus viris eruditis notae fuerunt.

Atque H. Gomperz (p. 86) et Bitterauf (in Philologo 68, p. 507) inter fragmentum Anonymi Iamblichi et illam Protagorae fabulam quandam intercedere similitudinem putant. Sed Bitterauf ipse Protagorae cogitationem non paulum ab Anonymi sententia differre demonstrat (p. 508): apud Protagoram duos rei publicae condendae conatus discerni, apud Anonymum autem homines statim e vita rudi ad condicionem bene constitutam pervenire. Maioris autem momenti est, quod apud Protagoram indoles, natura hominis, apud Anonymum necessitas tamquam causa progressus praedicatur. Qua de causa Protagorae librum fontem Anonymi fuisse non crediderim.

[1] de Anonymo Jamblichi conferas, quae H. Gomperz, Sophistik und Rhetorik, p. 79 sqq., exposuerit.

Sed alterum scriptorem et philosophum magnae auctoritatis, quem sub finem saeculi quinti docuisse satis certum est, talem descriptionem cultus humani orientis composuisse, qualem desideremus, verisimile mihi est: **Democritum** dico. Cuius de cogitationibus huc spectantibus paulo uberius disseram. Atque proficiscar a Philodemi loco (fr. 144 Diels): Δημόκριτος ... μουσικήν φησι νεωτέραν εἶναι καὶ τὴν αἰτίαν ἀποδίδωσι λέγων μὴ ἀποκρῖναι τἀναγκαῖον, ἀλλὰ ἐκ τοῦ περιεῦντος ἤδη γενέσθαι. Democritus igitur ipse quoque in ea sententia esse videtur, ut necessitatem certas artes peperisse credat; agnoscit autem alterum genus artium, quod posteriore tempore inventum est et egestatem excedit. Quod vero necessitati has partes tribuit, mirum non est, si quidem ἀνάγκη secundum sententiam eius mundum totum regit[1]). Quomodo vero musica, quam necessitas non provexit, orta sit, fortasse ex alio fragmento videmus. Plutarchus enim in libro „de sollertia an." haec protulit (fr. 154a Diels): γελοῖοι δ' ἴσως ἐσμὲν ἐπὶ τῷ μανθάνειν τὰ ζῷα σεμνύνοντες, ὧν ὁ Δημόκριτος ἀποφαίνει μαθητὰς ἐν τοῖς μεγίστοις γεγονότας ἡμᾶς: ἀράχνης ἐν ὑφαντικῇ καὶ ἀκεστικῇ, χελιδόνος ἐν οἰκοδομίᾳ καὶ τῶν λιγυρῶν κύκνου καὶ ἀηδόνος ἐν ᾠδῇ κατὰ μίμησιν. Democritus igitur non pauca animalia magistros hominum in artibus atque artificiis fuisse putavit[2]). Sed apertum est secundum Democritum naturam hominum magistram esse in utroque artium genere inveniendo: homines fuerunt discipuli cycnorum lusciniarumque in cantu (in arte supervacanea), sed etiam araneae in arte texendi, quae ars sane est necessaria. Quid igitur homines secundum Democriti sententiam ad artes supervacaneas incitavit? Quomodo artes inutiles ortae sint ex Democriti sententia, docere videtur fragmentum 223: ὧν τὸ σκῆνος χρηίζει, πᾶσι πάρεστι εὐμαρέως ἄτερ μόχθου καὶ ταλαιπωρίης· ὁκόσα δὲ μόχθου καὶ ταλαιπωρίης χρηίζει καὶ βίον ἀλγύνει, τούτων οὐκ ἱμείρεται τὸ σκῆνος, ἀλλ' ἡ τῆς γνώμης κακοθιγίη. Quibus ex verbis coniciam Democritum artibus necessariis utilibusque inventis homines artes inutiles invenisse, quae non necessitati vel egestati, sed argutiis et appeti-

---

[1]) cf. Zeller, Philosophie der Griechen I 2^5 p. 869 sq.; legimus apud Aristot. (gen. anim. V 8, 789b 2): Δημόκριτος . . πάντα ἀνάγει εἰς ἀνάγκην, οἷς χρῆται ἡ φύσις.

[2]) de Democriti sententia, secundum quam homines in artificiis exercendis naturam, et animalia et herbas, imitantur, cf. Praechter, Eine Demokritspur bei Xenophon, Hermae 50.

tioni supervacaneae mentis humanae paulatim nimis excultae deberentur, exposuisse. Fortasse Abderita cantum similesque artes utiles neque vero necessarias homines, cum ingenia eorum paulatim egestate acuta essent, naturam imitantes invenisse iudicavit. Tria autem genera artium nobis rursus apud Epicurum (sent. 29) occurrunt! Quae quoniam cognovimus, nunc ad Diodori quandam descriptionem initiorum hominum accedamus, quam in libro I, 8 legimus. Hunc enim locum, ut Reinhardt Hermae 47 demonstravit, ad Hecataeum Democriteum referendum esse, quem alibi quoque Diodorus secutus est [1], verisimile videtur. Atque ultro invitamur, ut quae ratio inter hanc disputationem et Democriti doctrinam modo expositam intercedat, quaeramus.

„Misera erat vita hominum priscorum, vivebant enim dispersi et semper a bestiis mors imminebat, quas repellere ipsa utilitas docebat (καὶ πολεμουμένους μὲν ὑπὸ τῶν θηρίων ἀλλήλοις βοηθεῖν ὑπὸ τοῦ συμφέροντος διδασκομένους). Ut igitur a periculis se tuerentur, homines utilitatis causa se congregabant. Tum in cultu paulatim progrediebantur, lingua oriebatur, res necessariae inveniebantur ut vestimenta, cibus, domicilium. ἐκ δὲ τοῦ κατ' ὀλίγον ὑπὸ τῆς πείρας διδασκομένους εἴς τε σπήλαια καταφεύγειν ἐν τῷ χειμῶνι καὶ τῶν καρπῶν τοὺς φυλάττεσθαι δυναμένους ἀποτιθέσθαι. Igne tunc cognito artes inveniebantur καὶ τἆλλα τὰ δυνάμενα τὸν κοινὸν βίον ὠφελῆσαι. καθόλου γὰρ τὴν χρείαν αὐτὴν διδάσκαλον γενέσθαι τοῖς ἀνθρώποις. χρεία igitur, egestas homines, ut cibum, domicilium, vestimentum aliaque invenirent, adducebat. Quas ad res inveniendas χεῖρες, λόγος, ψυχῆς ἀγχίνοια homines adiuvabant.

Complures igitur causas Diodorus agnoscit, quibus progressus generis humani effectus sit, egestatem, experientiam, indolem atque naturam hominis, summas autem partes egestati tribuit (καθόλου γὰρ τὴν χρείαν αὐτὴν διδάσκαλον γενέσθαι τοῖς ἀνθρώποις). Apud Anonymum Iamblichi et in libro hippocratico non egestatem, sed necessitatem inveniebamus atque in illo Democriti fragmento (144) artes necessarias et non necessarias seiungi videbamus. Qua de discrepantia, cum aliquid ad quaestionem nostram valeat, breviter disseram.

Vox ἀνάγκη in universum non idem significat atque vox

[1]) conferas, quae de hac re Eduardus Schwartz in Rhen. Mus. 40, p. 223 sqq. exposuerit.

χρεία. ἀνάγκη enim est necessitas, quae extrinsecus hominem cogit, est „äußeres Geschick": χρεία autem est egestas, qua homo se premi sentit. Sed vox χρεία non raro — maxime quoque temporibus prioribus — significationem accipit, quae ad vim vocis ἀνάγκη appropinquet: saepenumero enim res adversas significat, quae hominem ad omnes actiones malas et bonas cogere possint. χρεία igitur fit „Notlage". Cuius rei nonnulla exempla afferam.

Euripides Telephum haec verba dicentem fecit (fr. 715 N²): χρεία διδάσκει, κἂν βραδύς τις ᾖ, σοφόν. Telephus autem in angustiis, quae eum sapientem efficiunt, versatur: hic igitur χρεία est „Notlage". Praeterea apud Antiphontem in Tetr. B β 1 legimus haec verba: αὐταὶ αἱ συμφοραὶ καὶ χρεῖαι ... βίαζονται. χρείαν et συμφορὰς homines cogere hic enuntiatur! Conferas quoque Tetr. B γ 1: ὅτι μὲν αὐτὴ ἡ χρεία παρὰ φύσιν καὶ λέγειν καὶ δρᾶν ἅπαντας ἀναγκάζει ...· νῦν ὑπ' αὐτῆς τῆς συμφορᾶς ἠνάγκασται: egestas igitur homines cogit, ut multas res faciant et dicant, quae aliis temporibus non facerent vel dicerent. Ergo, quin χρεία hic sit „Not", „Notlage" et valde ad vim vocis ἀνάγκη appropinquet, dubitari non potest. Afferam Demosthenis quoque verba or. 45, 67: ἡ τῆς χρείας ἀνάγκη φέρει τινὰ συγγνώμην παρὰ τοῖς ἀνθρώποις λογιζομένοις: videmus illam de vi egestatis sententiam in orationibus iudiciorum saepius esse prolatam. Omnibus autem locis, quos attuli, χρεία est „Notlage", est egestas, quae hominem vexet atque ad multas res cogere possit. Unum autem locum apud Sophoclem invenimus, ubi χρεία nihil nisi necessitatem ipsam significare potest. Sophocles enim Oedipum caecum in Oedipode Coloneo, cum a populo admonitus e luco sacro excedat, Antigonae haec dicentem fecit (v. 191): μὴ χρείᾳ πολεμῶμεν. Quae verba quid significent, docet locus Antigonae (v. 1106): ἀνάγκῃ δ' οὐχὶ δυσμαχητέον (Creon Antigonam e caverna emittendam esse intellegit), „contra necessitatem homines pugnare est nefas", quae sententia vere sophoclea est. Ex eis igitur, quae disputavi, sequitur temporibus Democriti vocem χρεία significare potuisse „Notlage", „Zwang". Ergo facile aut Democritus ipse aut Democriteus aliquis pro necessitate egestatem instituere potuit![1]).

---

[1]) is, qui egestatem pro necessitate instituit, fortasse ea re indicare voluit angustias ab hominibus priscis sensas esse atque ita etiam intellectum hominum ad progressus aliquid valuisse.

Atque videmus descriptionem initiorum generis humani, quam Diodorus praebeat, a Democriti de artium inventione sententiis non abhorrere. Utilitatem autem, quae in Diodori descriptione praedicatur, etiam in Democriti doctrina magna fuisse auctoritate e fragmentis 252 et 275 facile colligere possumus. Atque ea res, quod imitationem naturae, quam Abderita valde pressisse videtur, apud Diodorum non invenimus, facile explicatur, si Diodorum non Democriti ipsius disputationem plenam reddere, sed Hecataei Democritei doctrinam coartatam proferre statuimus. Quod Diodorus ipse his verbis indicat (I 8, 10): καὶ περὶ μὲν τῆς πρώτης γενέσεως τῶν ἀνθρώπων καὶ τοῦ παλαιοτάτου βίου τοῖς ῥηθεῖσιν ἀρκεσθησόμεθα, στοχαζόμενοι τῆς συμμετρίας.

Ita Democriti de initiis cultus humani doctrinam nos in universum cognoscere posse crediderim. Res autem insignes in doctrina Abderitae necessitas vel egestas, experientia, indoles hominis, imitatio naturae fuisse videntur.

Restat nunc, ut quaeramus, quae ratio intercedat inter hanc Democriti descriptionem et illas disputationes supra a me tractatas. Cogitationes, quas apud auctorem libri „περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς“ et apud Anonymum Iamblichi legimus, similes doctrinae Democriti esse apparet. Neque vero eos Abderitam ipsum esse secutos pro certo habere ausim. Nam de rebus huiusmodi illis temporibus saepenumero esse disputatum atque sententias a me tractatas hominibus permultis notas fuisse certum mihi est. Cuiusmodi sententias ad auctorem certum referre non semper licet. Hoc autem dicere possumus: sub finem saeculi quinti doctrina quaedam multis nota fuit, secundum quam homines paulatim necessitate vel egestate coacti e miseria ad cultum meliorem provecti erant: multum autem Democritus ad has sententias pervulgandas valuisse videtur, sive auctor fuit sive propagator doctrinae.

Sed nunc quaeramus, quae ratio inter Protagorae mythum atque Democriti disputationem intercedat. Ut enim iam Norden [1]) ostendit, descriptio Diodori, initium fabulae Protagoreae, aliae cultus orientis descriptiones similitudines quasdam miras praebent.

---

[1]) de his rebus conferas, quae Norden, Agnostos Theos, p. 399 exposuerit. Ego hic rem tangam potius quam ad finem perducam.

In initio descriptionum vita misera ponitur, in qua homines ferarum ritu vivunt. Conferas:

Diod. I 8, 1 .. τοὺς δ' ἐξ ἀρχῆς γεννηθέντας τῶν ἀνθρώπων φασὶν ἐν ἀτάκτῳ καὶ θηριώδει βίῳ καθεστῶτας.

Pl. Prot. 320 C ἦν γάρ ποτε χρόνος, ὅτε θεοὶ μὲν ἦσαν, θνητὰ δὲ γένη οὐκ ἦν . . .

321 C . . Προμηθεὺς . . ὁρᾷ . . τὸν δὲ ἄνθρωπον γυμνόν τε καὶ ἀνυπόδητον καὶ ἄστρωτον καὶ ἄοπλον.

322 A οὕτω δὴ παρεσκευασμένοι κατ' ἀρχὰς ἄνθρωποι ᾤκουν σποράδην . .

Mosch. trag. fr. 6 ἦν γάρ ποτ' αἰὼν κεῖνος. ἦν ποθ' ἡνίκα
θηρσὶν διαίτας εἶχον ἐμφερεῖς βροτοί.

Critiae fr. 25 ἦν χρόνος, ὅτ' ἦν ἄτακτος ἀνθρώπων βίος
καὶ θηριώδης.

Atque in libro π. ἀρχ. ἰητρ. legimus (§ 3) homines priscos multum laborasse ὑπὸ ἰσχυρῆς τε καὶ θηριώδεος διαίτης.

Altera autem res accedit: non enim modo Protagorae illa vox κατάστασις apud Diodorum rursus invenitur (ἐν ἀτάκτῳ καὶ θηριώδει βίῳ καθεστῶτας[1]), sed Moschion tragicus in fragmento sexto dicens „διαπτύξω ἀρχὴν βροτείου καὶ κατάστασιν βίου" ad librum Protagorae ipsum alludere videtur. Sed etiam singuli progressus cultus humani apud Diodorum et Protagoram sunt similes: apud utrumque scriptorem homines vetustissimi primo rebus necessariis, ut vestimentis, cibo aliisque carent, tum paulatim e miseria, e vita rudi ad cultum meliorem ascendunt, usum linguae cognoscunt, domicilia cibum vestimenta sibi comparant, in unum locum coeunt.

Hae similitudines, quas inter auctores de cultu generis humani disserentes intercedere videmus, tantae sunt, ut casui vix tribui possint. Vix autem errabimus, si statuemus ex vetustissima eademque celeberrima de hac re disputatione nonnulla in recentiores fluxisse. A Protagora autem etiam Democritum pendere eo facilius credemus, quod etiam aliis in rebus eius sententias secutus esse videtur[2]).

[1]) Democritus dicit in fragmento 278 hominibus priscis se liberos gignere necesse videbatur ἀπὸ φύσιος καὶ καταστάσιος.

[2]) qua de re conferas Windelband-Bonhöffer, Geschichte der antiken Philosophie, Mun. 1912, p. 125 sqq. et Brochard, Protagoras et Democrite, Arch. 2, 1889, p. 368 sqq.

Sed Democritus sententias Protagorae non paulum mutavit. Protagoras formam mythi retinebat et illa quasi ludens utebatur. Etiam illam de vi egestatis sententiam noverat: homo vetustissimus est πρὸς τὸν τῶν θηρίων πόλεμον ἐνδεής. Quam sententiam pervulgatam fuisse testantur loci Antiphontis et Euripidis, quos supra (in pag. 27) commemoravi, atque ea, quae de Hesiodo dixi (in pag. 17). Animo complectaris etiam proverbia nostra: „Not lehrt beten“, „Not bricht Eisen“. Sed hanc cogitationem popularem corrigebat Protagoras: egestas sane homines priscos vexavit, e vita misera autem eos non egestas eduxit, sed ingenium hominis, indoles humana, ὁ λόγος. Atque Protagoras quasi ludens res varias coniunxisse mihi videtur, premebat autem vim intellectus humani (cf. p. 23). Quam Protagorae doctrinam Democritum in usum suum convertisse opinor; sed ut omnibus in rebus vim ἀνάγκης agnoscere sibi videbatur, sic hac in re consulto ad vulgi illam opinionem rediit[1]: sane necessitas vel etiam egestas omnia bona hominibus effecit, egestas homines, ut in unum locum coirent et artes invenirent, coegit. Egestas (hanc veram Abderitae sententiam fuisse puto) hominum ingenia paulatim ita, ut artes invenire et in cultu progredi possent, acuit. Animum autem attendas ad haec verba Diodori: καθόλου γὰρ τὴν χρείαν αὐτὴν διδάσκαλον γενέσθαι τοῖς ἀνθρώποις ὑφηγουμένην τὴν ἑκάστου μάθησιν εὐφυεῖ ζῴῳ καὶ συνέργους ἔχοντι πρὸς ἅπαντα χεῖρας καὶ λόγον καὶ ψυχῆς ἀγχίνοιαν. Licet igitur homo natura meliore indole praeditus sit quam cetera animalia, egestatem ingenium acuere atque incitare necesse est.

Ita duae viae atque rationes explicandi progressus humani discernendae sunt: Democritus, auctor libri π. ἀρχ. ἰητρ., Anonymus Iamblichi necessitatem vel egestatem maxime praedicant, Protagoras menti, ingenio hominis omnia tribuit[2].

[1] Democritum in doctrina ethica saepius sententiis popularibus usum esse verisimile videtur: cf. Natorp, Ethika des Demokrit, Marb. 1893, p. 63 sqq.

[2] De Democriti doctrina unum addam. E fragmento Democriti quodam, quod Clemens Alexandrinus tradidit (Protr. 68, I 52, 16 St., Dem. fr. 30 Diels), Reinhardt colligit Democritum quaedam inventa hominibus singulis attribuisse, quos nominaret λογίους ἀνθρώπους (τῶν λογίων ἀνθρώπων ὀλίγοι ἀνατείναντες τὰς χεῖρας ἐνταῦθα, οὗ νῦν ἠέρα καλέομεν οἱ Ἕλληνες· 'πάντα ⟨φασὶν⟩ Ζεὺς μυθεῖται καὶ πάνθ' οὗτος οἶδε καὶ διδοῖ καὶ ἀφαιρεῖται καὶ βασιλεὺς οὗτος τῶν πάντων'). Non facile, quantas partes illi homines λόγιοι apud Democritum egerint, dici potest. Ego nihil nisi

Et Democriti et Protagorae sententias aliis scriptoribus obversatas esse certum mihi est. Atque lepido modo diversas de progressu hominum sententias in Moschionis tragici fragmento sexto coniunctas invenimus[1]. Quo in fragmento, quomodo homines e vita rudi et incomposita paulatim ad vitam cultam ascenderint, describitur. Homines priscos ferarum ritu et omnium artium expertes vixisse exponitur. Deinde legimus hos versus (18 sqq.):

ἐπεὶ δ' ὁ τίκτων πάντα καὶ τρέφων χρόνος
τὸν θνητὸν ἠλλοίωσεν ἔμπαλιν βίον,
εἴτ' οὖν μέριμναν τὴν Προμηθέως πάρα,
εἴτ' οὖν ἀνάγκην, εἴτε τῇ μακρᾷ τριβῇ
αὐτὴν παρασχὼν τὴν φύσιν διδάσκαλον,
τόθ' εὑρέθη μὲν καρπὸς ἡμέρου τροφῆς . .

Versibus autem insequentibus culturas vitium atque agri inventas, urbes natas, leges constitutas esse sepulturae exponitur. Atque poeta eo loco, ubi de officio mortuos humandi dicturus erat, descriptionem reliquam ornamenti causa inseruisse mihi videtur. Sed accuratius hanc disputationem perspiciamus: Moschion tres rationes progressus hominum explicandi enumerat, 1) curam Promethei, 2) necessitatem, 3) indolem atque exercitationem (indoles humana exercitatione omnia invenit). Valde autem mirum est, quod omnibus tribus rationibus versus 18. 19, quibus vis temporis praedicatur, praepositi sunt. Sententia enim horum versuum prorsus non apta est ad versum 20, ubi de Prometheo, cultus humani auctore, agatur. Quae res facile intellegi potest: poeta tragicus illam Aeschyli fabulam neglegere non audet. Atque continuationem sententiarum spectantibus hanc de Prometheo cogitationem ut sollemnem leviter tangi, non inter eas, quarum ratio habenda sit, recenseri apertum est. Premuntur

---

hoc dicere ausim Democritum intellectui hominum iam aliquantum in cultu progressorum quasdam partes tribuisse. Reinhardt ea de causa tantas partes hominibus λογίοις attribuit, quod Posidonii viris sapientibus respondere ei videantur. Sed ex fragmento Democriti hoc colligi non potest neque apud Diodorum quicquam de his singulis hominibus legimus. Quos cum philosophis Posidonii (de quibus cf. p. 45 sqq.) eodem loco ponere ego valde dubito.

[1]) de tempore Moschionis certo iudicare non possumus. Verisimile autem videtur poetam medio saeculo quarto fuisse (Alexis comicus eum ut gulae nimis deditum illusit, cf. Athen. VI, p. 242 c).

autem alterae viae, necessitas et natura hominis exercitatione omnia inveniens. Quo loco Moschionem sententias proferre hominibus eruditis notas perspicuum est. Poeta sane descriptiones quasdam initiorum cultus humani noverat, in quibus aut necessitate aut indole humana maxime progressus hominum effectas esse dicebatur. Quibus rationibus valde apta erat vis temporis in v. 18 sq. praedicata.

Atque utraque sententia nobis iam est nota: necessitas nobis apud Anonymum Iamblichi, in libro hippocratico, maxime apud Democritum occurrebat, natura autem hominis a Protagora laudata esse videbatur. Atque ut in Moschionis fragmento vis temporis praedicatur, in Diodori descriptione exponitur paulatim homines e vita rudi ad cultum meliorem ascendisse. Altera igitur Moschionis ratio nobis prorsus est nota, altera autem minus nota est: Protagoras enim, qui etiam progressus hominum indoli humanae tribuit, vim exercitationis neglexisse videtur: mihi certe verisimile est Protagoram mentem humanam, quae cum mente divina esset cognata, maxime laudasse et vim temporis exercitationisque aut parum aut omnino non respexisse. Moschion hic auctorem aliquem sequi videtur, qui illam Protagorae doctrinam sic immutavit, ut praeter indolem exercitationem praedicaret.

Reliquum autem mihi nunc est, ut de nonnullis Platonis et Isocratis locis breviter disseram, ubi vestigia sententiarum a Democrito et Protagora de initiis hominum prolatarum invenimus.

Plato enim in libris de re publica eo modo rem publicam fecit orientem, ut primo nonnulli homines in unum locum coeant secundum inopiam quarundam rerum. Atque cum homines maxime cibo, domo, vestimento indigeant, in eundem locum γεωργός, οἰκοδόμος, ὑφάντης coeunt (p. 369 B sq.). Plato igitur hoc loco non, quomodo urbs orta sit, describit, sed quibus incolis ad urbem efficiendam opus sit, exponit: plenam autem perfectamque civitatem eos eo modo non efficere declarat, cum civitas, quae nil nisi has χρείας expleret, esset urbs ὑῶν (εἰ δὲ ὑῶν πόλιν, ὦ Σώκρατες, ἔφη, κατεσκεύαζες, τί ἂν αὐτὰς ἄλλο ἢ ταῦτα ἐχόρταζες; p. 372). Atque Platonem hic alienam doctrinam illudere diu homines docti suspicati sunt. Scilicet novit doctrinam, secundum quam necessitate civitas efficitur, sed ipse hoc modo fundamenta tantum rei publicae explicari, non perfectum civium statum ostendi posse

statuit. Quem vero Plato hic respiciat, diiudicare non ausim; facile autem, ut de Democrito cogitemus, invitamur.

Protagorae autem descriptionem ad alios scriptores aliquid valuisse bene loci Isocratis nonnulli ostendunt. Nestle[1]) enim iam demonstravit quibusdam locis apud Isocratem descriptiones cultus orientis, quae cum Protagorae sententiis valde congruerent, legi. Atque in oratione Nicoclea 5—9 et in oratione de perm. 253—257 eandem initiorum cultus humani descriptionem invenimus[2]). Qua in descriptione artes βάναυσοι minus respiciuntur; narratio incipit a vita incomposita hominum priscorum, tum paulatim urbes conditas, leges et artes inventas esse exponitur. Maxime autem λόγος, quo homines a bestiis differant, praedicatur atque in laudem λόγου, cui omnia bona debeantur, descriptio exit. χρεία autem vel ἀνάγκη non occurrit. Λόγος rhetori est δύναμις τοῦ πείθειν; Isocrates igitur sententiam Protagorae paulum immutat, sed cogitationes sunt cognatae: ingenium hominis, non egestas progressus generis humani effecit[3]). Etiam in Panegyrico Isocrates, ut Athenarum in reliquos Graecos beneficia demonstret, illa cultus humani initiorum descriptione utitur (§§ 28 sqq.): Athenienses ceteros Graecos, quorum τοὺς μὲν δι' ἔνδειαν τῶν καθ' ἡμέραν, τοὺς δὲ διὰ τὸν πόλεμον ἀπολλυμένους vident, adiuvant atque eis ἀνόμως et σποράδην viventibus leges et instituta dant. καὶ μὲν δὴ καὶ τῶν τεχνῶν τάς τε πρὸς τἀναγκαῖα τοῦ βίου χρησίμας καὶ τὰς πρὸς ἡδονὴν μεμηχανημένας, τὰς μὲν εὑροῦσα, τὰς δὲ δοκιμάσασα χρῆσθαι τοῖς ἄλλοις παρέδωκεν. Quae descriptio multis in rebus cum Protagorae narratione congruit; nec tamen desunt similitudines cum Democriti descriptione: duo genera artium discernuntur, artes necessariae atque artes supervacaneae. Vis autem necessitatis vere non

[1]) Spuren der Sophistik bei Isokrates, Phil. N. F. XXIV.

[2]) qua ex re Isocratem has descriptiones ornatus cuiusdam causa orationum ordini inseruisse facile colligimus.

[3]) haec verba Isocratis hic enotem (de perm. 254): ἐγγενομένου δ' ἡμῖν τοῦ πείθειν ἀλλήλους καὶ δηλοῦν πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς περὶ ὧν ἂν βουληθῶμεν, οὐ μόνον τοῦ θηριωδῶς ζῆν ἀπηλλάγημεν, ἀλλὰ καὶ συνελθόντες πόλεις ᾠκίσαμεν καὶ νόμους ἐθέμεθα καὶ τέχνας εὕρομεν, καὶ σχεδὸν ἅπαντα τὰ δι' ἡμῶν μεμηχανημένα λόγος ἡμῖν ἐστιν ὁ συγκατασκευάσας. Ad hanc autem laudem λόγου Gorgiam aliquid valuisse Nestle opinatur. Similis λόγου laudatio nobis occurrit in epistula illa arti rhetoricae Anaximenea praemissa (cf. Wendland, Anax. v. L. p. 29). Affero verba (Sp.-H. I 2, p. 9, 12): τοὺς δὲ ἄνευ λόγου τι ποιοῦντας ὡς ὄντας ὠμοὺς καὶ θηριωδεῖς μισοῦμεν.

praedicatur; Athenienses, ut ita dicam, apud Isocratem partes agunt Promethei Protagorei. Atque in universum Isocratem ad Protagorae sententias se applicavisse crediderim.

Sed in has res satis mihi inquisitum videtur. Sub finem saeculi quinti igitur doctrina quaedam de cultus humani initiis exstitit, secundum quam necessitas vel egestas homines, ut in unum locum coirent, ut res ad vitam necessarias quaererent, ut artes invenirent, coegit. Haec autem doctrina quasi fundamentum sententiarum agonis Aristophanei praebuit, secundum quam egestas, ut homines sollertes fierent atque artes invenirent, effecit et homines ad laborandum incitavit. Apparet autem, quam facile quis hanc sententiam ita ad sua tempora transferre potuerit, ut egestatem homines ad laborandum et ad artes exercendas adducere statueret, praesertim si vetus illud praeceptum Hesiodi „pauper es, itaque labora, ut hoc modo invenias quandam λύσιν πενίης“ observaret.

Sed alia via etiam cognoscere possumus Aristophanis sententias qnodammodo iam saeculo quinto praeparatas fuisse. Iam enim Democriti, Euripidis, Platonis quasdam de paupertate cogitationes perlustrabo.

Democritus et de aliis rebus ethicis et de paupertate non pauca disputavisse videtur[1]). Atque in fragmentis Abderitae saepenumero sententias legimus, quas etiam apud elegiarum poetas, ut Theognidem vel Solonem invenimus[2]). Maxime animi tranquillitatem, εὐθυμίαν, Democritus laudat (cf. fr. 44—47), quam ad acquirendam homines libidinibus temperare et ea, quae assequi possint, appetere necesse sit. Plurimae autem harum de fortuna et divitiis sententiarum non valde cum argumento agonis Aristophanei sunt cognatae et persaepe nobis postea in libris de recte vivendo conscriptis occurrunt.

Sed etiam veram paupertatis laudem Democritum protulisse locus quidam mirus demonstrare videtur, quem in Eustathii ad

[1]) de quaestione, utrum fragmenta Democriti ethica, quae nobis sint tradita, Abderitae sint attribuenda necne, conferas ea, quae de hac re exposuit Natorp, Ethika des Demokrit, p. 53 sq. Natorp alteram fragmentorum partem libro περὶ εὐθυμίης, alteram libro Τριτογένεια, in quo collectionem sententiarum moralium fuisse opinatur, tribuit.

[2]) cf. Natorp, p. 64 sq.

Odysseam commentario (p. 1784, 58; Dem. fr. 24 D.) legimus: ἰστέον δὲ, ὅτι ἐς τοσοῦτον ἠξιώθη λόγου τοῖς παλαιοῖς ὁ εὐνοικὸς οὗτος δοῦλος Εὔμαιος, ὥστε καὶ μητέρα αὐτοῦ ἐξευρίσκουσιν, Δημόκριτος μὲν Πενίαν, Εὐφορίων δὲ Πάνθειαν, Φιλόξενος δὲ ὁ Σιδώνιος Δανάην. Quo ex loco cognoscimus viros doctos, quae fuisset mater Eumaei servi probi, quod nomen ei fuisset, quaesivisse. Atque Democritus matrem Eumaei εὐνοικοὺ fuisse Peniam censuit (Democritus librum quendam de Homero conscripsit!). Quae verba non nisi ita interpretari possum: Penia, ut Eumaeus servus ille vir probus laboriosusque, qualis ab Homero describitur, fieret, effecit; Penia igitur eius mater, magistra, nutrix fuit. Atque optime cum hac sententia illa verba comparari possunt, quae apud Apuleium in Apologia (c. 18) legimus: „quemcumque in aliqua laude miramur, eum paupertas ab incunabilis nutricata est“ [1]). Iam in lexico mythologico Roscheri ab Hoefero (t. III 1922) opinio profertur Democritum Eumaeo probo atque laborioso Peniam matrem ea de causa tribuisse, quia Peniam medium ordinem hominum egentium, sed laboriosorum effecisse censuisset. Quae interpretatio fortasse nimis est arta, sed hoc mihi quoque verisimile est: Democritum Peniam Eumaeo matrem attribuisse, quia eam magistram laboris et morum bonorum esse putaret [2]). Qua cum cogitatione doctrina de initiis cultus humani a Democrito prolata optime congruit neque ab hac Penias laude sententiae Abderitae supra a me commemoratae abhorrent. Democritum igitur in vulgatis sententiis moralibus non acquievisse, sed etiam Peniam ad laborem esse utilissimam praedicavisse verisimile est. Sed accuratius quicquam dici non potest.

Sed nunc ad **Euripidis** de paupertate sententias nos convertamus. Euripides, quem Nestle iure nominat „Dichter der

---

[1]) supra demonstravi (p. 11) imprimis rhetores in encomiis rem vel personam laudandam matrem, dominam, magistram nominare. Similia autem etiam aliis in libris nos invenire facile intelleges. Atque cum Democriti verbis etiam fragmentum quoddam Euripidis conferre licet (fr. 54):

πενία δὲ δύστηνον μέν, ἀλλ' ὅμως τρέφει
μοχθοῦντ' ἀμείνω τέκνα καὶ δραστήρια.

[2]) fortasse Democritum vocem Εὔμαιος ductam esse e vocibus εὖ et μαίομαι iudicavit; μαίομαι est „aliquid quaerere, appetere“, Penia autem, ut homines laborent et victum quaerant, efficit!

griechischen Aufklärung"[1]), in tragoediis suis de multis rebus ad societatem hominum pertinentibus disputavit. Atque etiam de paupertate divitiisque personas suas saepius disserentes fecit. Cuiusmodi sententias cum tragoediae integrae conservatae, tum fragmenta multas nobis praebent (velut cf. Stobaeum, IV c. 31—33, H. t. V).

Atque permultae Euripidis sententiae ad mores hominum pertinent et laudem divitiarum contemptionemque paupertatis pervulgarem impugnant, quales sententias etiam in populo saepius esse prolatas satis est certum. Velut Euripides demonstrare solet divitias saepe cum stultitia (fr. 1069. 96, al.), saepe cum ignavia (Phoen. v. 598), cum superbia (fr. 438) esse coniunctas[2]). Sed etiam paupertatem cum pietate coniunctam esse Euripides ostendit (cf. fr. 327, v. 4—7). Saepe autem mentem bonam apud pauperes, stultitiam apud divites esse poeta commemorat. Itaque agricola dicit in Electra (v. 370 sqq.):

ἤδη γὰρ εἶδον ἄνδρα γενναίου πατρός,
τὸ μηδὲν ὄντα, χρηστὰ δ' ἐκ κακῶν τέκνα,
λιμόν τ' ἐν ἀνδρὸς πλουσίου φρονήματι,
γνώμην δὲ μεγάλην ἐν πένητι σώματι.

Huc quoque spectant verba fragmenti 246:

νεανίας τε καὶ πένης σοφός θ' ἅμα
ταῦτ' εἰς ἓν ἐλθόντ' ἄξι' ἐνθυμήσεως.

Paupertas ad εὐανδρίαν homines ducit (fr. 54):

κακόν τι παίδευμ' ἦν ἄρ' εἰς εὐανδρίαν
ὁ πλοῦτος ἀνδρώποισιν αἵ τ' ἄγαν τρυφαί.
πενία δὲ δύστηνον μέν, ἀλλ' ὅμως τρέφει
μοχθοῦντ' ἀμείνω τέκνα καὶ δραστήρια.

Paupertas, cum homines ad laborandum cogat, molesta est; sed labor homines bene educat, nam οἱ πόνοι τίκτουσι τὴν εὐανδρίαν (ut in fragmento Euripidis 237 legimus). Quae sententiae cogitationi agonis Aristophanei appropinquant. Valde autem cum argumento agonis haec sunt cognata (fr. 641):

---

[1]) Nestle. Euripides, der Dichter der griechischen Aufklärung; Stuttg. 1901. Cui libro nonnulla in hoc capite debeo (conferas ea, quae Nestle in p. 228 sqq. et 328 sqq. exponit).

[2]) de his sententiis ea, quae Huebner „De Pluto" in primo dissertationis capite composuit, conferas. Ego hic nonnullas sententias tangere satis habui.

πλουτεῖς, τὰ δ' ἄλλα μὴ δόκει ξυνιέναι.
ἐν τῷ γὰρ ὄλβῳ φαυλότης ἔνεστί τις,
πενία δὲ σοφίαν ἔλαχε διὰ τὸ συγγενές.

Paupertas cum sapientia est coniuncta[1])! Quae verba vim proverbii nacta sunt; legimus enim apud Zenobium (cent. V 72): πενία δὲ σοφίαν ἔλαχε· κομματικῶς τοῦτο ἐκ τῶν Εὐριπίδου εἵλκυσται, πάροσον οἱ πένητες πολλὰς τέχνας ἐπιτηδεύουσιν. Zenobius igitur fragmentum ita interpretatur, ut cum sententia Aristophanea fere congruat. Themistius quoque in oratione XIII, p. 164 B dicit: ἤκουον γὰρ παρὰ τῶν ποιητῶν, ὅτι πενίη σοφίαν ἔλαχε.

Adhiberi quoque ad quaestionem nostram verba possunt, quae in Supplicibus, v. 176 sqq. legimus:

σοφὸν δὲ πενίαν τ' εἰσορᾶν τὸν ὄλβιον·
πένητά τ' εἰς τοὺς πλουσίους ἀποβλέπειν
ζηλοῦνθ' ἵν' αὐτὸν χρημάτων ἔρως ἔχῃ.

Quae verba nobis in memoriam revocant sententiam Hesiodeam, qua pauper in divitem spectans ad laborem incitatur. Atque denuo hoc loco commemorandum est fr. 715:

οὔ τ' ἄρ' Ὀδυσσεύς ἐστιν αἱμύλος μόνος,
χρεία διδάσκει, κἂν βραδύς τις ᾖ, σοφόν.

Egestas, quae hic nobis occurrit, hoc loco „res angustas", in quas Telephus incidit, significare videtur: sed quam finitima haec sententia alteri sit, secundum quam paupertas ingenium incitat, declarat Electrae v. 373 (ubi tamen in malum vertitur haec sententia): πενία διδάσκει δ' ἄνδρα τῇ χρείᾳ κακόν. Sententiarum igitur Euripidis, quas adhuc attuli, nonnullae cum agonis Aristophanei cogitationibus bene congruunt. Sed hactenus de his Euripidis sententiis[2]).

---

[1]) hoc fragmentum e Polyido sumptum est; valde est dolendum, quod de huius tragoediae tempore nihil scimus. Verba non una ratione sunt tradita: Stob. (IV 32, 7, p. 782 H) habet διὰ τὸ δυστυχές, Clemens Al. (Strom. IV, p. 574) διὰ τὸ συγγενές. Vocem συγγενὲς ego praeferam; cf. Petron. c. 84 „nescio, quo modo bonae mentis soror est paupertas".

[2]) aliae Euripidis de pauperibus cogitationes minoris sunt momenti. In fragmento 21 legimus civitatem, nisi e divitibus et pauperibus misceatur, conservari non posse:

δοκεῖτ' ἂν οἰκεῖν γαῖαν, εἰ πένης ἅπας
λαὸς πολιτεύοιτο πλουσίων ἄτερ;
οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακά.

Nunc autem iam ad **Platonis** dialogos transeamus. Atque primum ad libros, qui „Res publica“ et „Leges“ inscribuntur, nos convertamus. Quorum librorum nonnulli loci sunt de paupertate et divitiis. Maxime autem locus quidam libri quarti Rei publicae dignus est, quem advocemus. Hoc enim loco et divitias et paupertatem opifices corrumpere exponitur (p. 421 C): τοὺς δ' ἄλλους (antea de custodibus est disputatum) αὖ δημιουργοὺς σκόπει, εἰ τάδε διαφθείρει, ὥστε καὶ κακοὺς γίγνεσθαι. Τὰ ποῖα δὴ ταῦτα: Πλοῦτος, ἦν δ' ἐγώ, καὶ Πενία. Πῶς δή: Ὧδε. πλουτήσας χυτρεὺς δοκεῖ σοι ἔτι θελήσειν ἐπιμελεῖσθαι τῆς τέχνης: οὐδαμῶς, ἔφη. Ἀργὸς δὲ καὶ ἀμελὴς γενήσεται αὐτὸς αὑτοῦ: πολύ γε. οὐκοῦν κακίων χυτρεὺς γίγνεται: καὶ τοῦτο, ἔφη, πολύ. καὶ μὴν καὶ ὄργανά γε μὴ ἔχων παρέχεσθαι ὑπὸ πενίας ἤ τι ἄλλο τῶν εἰς τὴν τέχνην, τά τε ἔργα πονηρότερα ἐργάσεται καὶ τοὺς υἱεῖς ἢ ἄλλους, οὓς ἂν διδάσκῃ, χείρους δημιουργοὺς διδάξεται. Πῶς δ' οὔ: Ὑπ' ἀμφοτέρων δή, πενίας τε καὶ πλούτου, χείρω μὲν τὰ τῶν τεχνῶν ἔργα, χείρους δὲ αὐτοί. Opifex igitur dives factus non iam laborare vult: deest enim ea, quae adhuc opificem ad laborem adduxit, cupiditas aliquid acquirendi. Neque magis paupertas opifici est utilis: tum ei pecunia, quae ad artificia exercenda est necessaria, deest. Quae Platonis cogitatio ab agonis sententia abhorrere videtur; re vera autem sententiae sunt valde similes. Plato enim opificibus pecuniam modicam optimam, neque vero aut opulentiam aut mendicitatem accomodatam esse putat. Aristophanes autem, ut iam vidimus, paupertatem et mendicitatem discernit; mendicus nihil, pauper non multum, sed satis habet pecuniae. Similitudinem igitur quandam inter Platonis et Aristophanis sententias intercedere negari non potest. Non parvi autem momenti

---

ἀλλ' ἔστι τις σύγκρασις, ὥστ' ἔχειν καλῶς.
ἃ μὴ γάρ ἐστι τῷ πένητι, πλούσιος
δίδωσ'· ἃ δ' οἱ πλουτοῦντες οὐ κεκτήμεθα,
τοῖσιν πένησι χρώμενοι τιμώμεθα.

Quae verba si legimus, agonis Aristophanei recordari possumus, ubi pauperes plurimum ad hominum societatem valere ostendatur. Sed notandum est apud Aristophanem de societate hominum neque vero de constitutione rei publicae agi ut apud Euripidem. Atque itidem res se habet nonnullis locis, ubi Euripides, cum ordinem hominum medium illustrat, de rei publicae ordine medio cogitat; sed hoc dici potest: simili modo atque Aristophanem, Euripidem pauperes a mendicis discernere, velut in Oresta, v. 909 sqq., agricola quidam laboriosus et homini diviti inutilique et mendico opponitur.

est hoc: etiam Plato egestatem homines ad laborandum adducere exponit: πλουτήσας χυτρεὺς δοκεῖ σοι ἔτι θελήσειν ἐπιμελεῖσθαι τῆς τέχνης; οὐδαμῶς, ἔφη.

Sed etiam alias sententias Plato praebet, quae nobis agonis Aristophanei argumentum in animum reducant. In pag. 422 B Plato ostendit pauperes suos cives facile e pugna cum divite civitate superiores discessuros esse, nam . . εἷς πύκτης, ὡς οἷόν τε κάλλιστα ἐπὶ τοῦτο παρεσκευασμένος δυοῖν μὴ πύκταιν, πλουσίοιν δὲ καὶ πιόνοιν, οὐκ ἂν δοκεῖ σοι ῥᾳδίως μάχεσθαι: . . Quibus cum verbis conferas hos Pluti versus (v. 559 sqq.):

. . παρὰ τῷ (sc. Pluto) μὲν γὰρ ποδαγρῶντες
καὶ γαστρώδεις καὶ παχύκνημοι καὶ πίονές εἰσιν ἀσελγῶς,
παρ' ἐμοὶ δ' ἰσχνοὶ καὶ σφηκώδεις καὶ τοῖς ἐχθροῖς ἀνιαροί.

Similem autem cogitationem in libro VIII p. 556 D legimus, ubi vir pauper et laboribus duratus diviti atque effeminato opponatur: . . ἰσχνὸς ἀνὴρ πένης ἡλιωμένος παραταχθεὶς ἐν μάχῃ πλουσίῳ ἐσκιατροφηκότι πολλὰς ἔχοντι σάρκας ἀλλοτρίας . . Pauperes igitur saepe meliore corporis valetudine esse quam divites Plato non ignorat. Immo vero hoc Socrates in Re publica dicit (555 C): sophrosyne et divitiae apud eundem hominem exstare non possunt. οὐκοῦν δῆλον ἤδη τοῦτο ἐν πόλει, ὅτι πλοῦτον τιμᾶν καὶ σωφροσύνην ἅμα ἱκανῶς κτᾶσθαι ἐν τοῖς πολίταις ἀδύνατον, ἀλλ' ἀνάγκη ἢ τοῦ ἑτέρου ἀμελεῖν ἢ τοῦ ἑτέρου; Ἐπιεικῶς δῆλον. Atque similis est sententia, quam 551 A legimus: τιμωμένου δὲ πλούτου ἐν πόλει καὶ τῶν πλουσίων ἀτιμότερα ἀρετή τε καὶ οἱ ἀγαθοί: Δῆλον. Ad extremum autem haec verba in Legibus prolata (p. 743 B) afferre mihi liceat: . . ὥστε ὁ λόγος ἡμῖν ὀρθὸς, ὡς οὐκ εἰσιν οἱ παμπλούσιοι ἀγαθοὶ· εἰ δὲ μὴ ἀγαθοὶ, οὐδὲ εὐδαίμονες.

Inter sententias modo commemoratas nulla similior est Aristophaneae quam ea, qua egenum laborare velle divitem nolle Plato statuit. Iam vero tempus est, ut ad alium Platonis locum accedamus, quo inopiam causam esse, qua studium hominis excitetur, praedicatur: dico illam de parentibus Amoris fabulam, quam a Diotima acceptam Sokrates in Convivio (p. 203 sq.) amicis narrat.

Agitur hic de parentibus Amoris, Ἔρωτος. Eros est Platoni impetus, quo homo ad verum cognoscendum atque omnia bona et pulchra adipiscenda impellatur [1]). Quodsi Diotima Amoris pa-

[1]) de Erote conferas Pohlenz, Aus Platos Werdezeit, p. 380 sq.

rentes Πενίαν et Πόρον esse exponit, haec sine dubio Platonis sententia est: studium ea re excitatur, quod egestatem sentimus, h. e. aliquid nobis deesse novimus, et quod viam illius rei adipiscendae videmus. Similis autem est Aristophanis sententia: Penia, egestas, homines ad labores cogit et ita, ut artificia exerceantur, efficit. Via autem aliqua facile pauperi, cum miseriam effugere studet, apparet. Nam (ita in fragmento incerti alicuius tragici legimus, fr. 526 trag. adesp. N[2]) ἅπανθ' ὁ τοῦ ζητοῦντος εὑρίσκει πόνος. Atque Chaeremon tragicus similiter dicit (fr. 21): οὐκ ἔστιν οὐδὲν τῶν ἐν ἀνθρώποις, ὅτι οὐκ ἐν χρόνῳ ζητοῦσιν ἐξευρίσκεται. In universum igitur Plato cum Aristophane conspirat, discedit autem ab eo, quod praeter inopiam etiam facultatem viae reperiendae respicit. Uterque autem inopiam multum valere ad studia excitanda statuit[1]).

Iam in dialogo, qui Λύσις inscribitur, demonstratur (p. 221 E) ἔρωτα non solum ea re excitari, quod summum quoddam bonum ad effectum adducendum nobis obversetur, sed etiam ea re, quod aliquid nobis deesse sentiamus. Sed tum in Convivio fictionem poeticam invenimus, secundum quam Ἔρως filius est Πενίας et Πόρου. Atque ut hac in fictione Platonem sententias alienas ad usum suum convertisse opiner, similitudine adducor, quae inter hunc Platonis locum et Aristophanis sententias intercedit. Ita etiam Platonis Symposium nobis testatur illam de vi egestatis salutari cogitationem quinto saeculo atque quarto satis notam fuisse[2]).

Penias laudes, quae nobis in agone Pluti occurrant, aliorum cogitationibus praeparatas fuisse me satis exposuisse spero. Facile autem etiam cogitari potest sophistam aliquem encomium Penias illo tempore composuisse. Atque vidimus non paucas res, si formam agonis spectamus, ad encomium nos revocare. Itaque

[1]) conferas verba, quae ex Euripidis Supplicibus supra enotavi (v. 176 sqq.):

σοφὸν δὲ πενίαν τ' εἰσορᾶν τὸν ὄλβιον
πένητά τ' εἰς τοὺς πλουσίους ἀποβλέπειν
ζηλοῦνθ' ἵν' αὐτὸν χρημάτων ἔρως ἔχῃ.

[2]) Πόρος a Diotima υἱὸς Μήτιδος, filius indolis, mentis humanae nominatur. Supra autem, cum de descriptionibus cultus humani ageremus, vidimus modo necessitati modo indoli humanae maximas partes tribui. Apud Platonem et Πόρος, υἱὸς Μήτιδος, et Πενία apparent, utraque igitur res hic locum suum accipit.

suspicio illa, quae antea protuli, Aristophanem encomium aliquod Paupertatis in usum suum convertisse, magis iam firmata esse nobis videri. Certius tamen quicquam constituere non possumus[1]).

Quoniam illas egestatis laudes, quae in libris temporis prioris leguntur, absolvimus, nunc ad litteras posteriores transeamus atque, num quid sententiae a me tractatae etiam in iis valuerint, perscrutemur.

---

2. de laudibus inopiae, quae apud scriptores, qui post Aristophanem fuerunt, leguntur.

Primum ad descriptiones cultus orientis nos convertamus atque, num Democriti vel Protagorae cogitationes ad litteras temporis posterioris alicuius fuerint momenti, quaeramus[2]). Pro certo

---

[1]) duas res tangere mihi liceat, etsi de eis certum quicquam dici non posse plane scio. Quamquam sine dubio auctor encomii imprimis facultatem suam defendendae rei vulgo vituperatae ostentare volebat, cogitari fortasse potest eum etiam serio consilio quasdam opiniones impugnare voluisse. Crediderim enim auctori ostendere in animo fuisse opifices non iure ab omnibus contemni atque etiam ea de causa demonstravisse, multo meliorem esse valetudinem corporum et animorum opificum quam hominum divitum. Animadvertendum enim est paupertatem in Pluti agone semper cum artificiis, cum τέχναις esse coniunctam (cf. v. 509 sqq., maxime v. 532—534, 552, 553). Constat autem illo tempore artificia in contemptionem magnam venisse (cf. Poehlmann, Gesch. des ant. Kommunismus und Sozialismus, 1901, t. II, p. 161 sqq.). Atque quantopere opifices sint despecti, Xenophon, Oecon. IV 2 nobis demonstrat: καταλυμαίνονται γὰρ τὰ σώματα τῶν τε ἐργαζομένων καὶ ἐπιμελουμένων καὶ τὰς ψυχὰς ἀναγκάζουσιν καθῆσθαι καὶ σκιατραφεῖσθαι. Fortasse encomio illo haec sententia est impugnata. Atque cum versibus Pluti 558 sqq., ubi Peniam homines, qui sint bona valetudine corporum et animorum, efficere exponitur, conferas quae praebet σύγκρισις Πλούτου καὶ Ἀρετῆς apud Stobaeum servata: πλοῦτος τὸ σῶμα λυμαίνεται ταῖς τρυφαῖς· τὴν δὲ αὐτουργίαν ἀνθρώπων ἀφαιρεῖται, τὸ πάντων ὑγιεινότατον (p. 763, 4 H).

Sed ad alteram rem transeamus. Iam Poehlmann (t. II p. 316) quandam rationem esse inter sententias agonis Aristophanei et illas cogitationes novas et turbulentas, quae saeculis quinto et quarto multae sint ortae, exposuit. De aequatione omnium bonorum tum disputatum esse ipsae fabulae Ecclesiazusae et Plutos demonstrant et a similibus cogitationibus etiam comoedias, quibus tempora prisca vel terrae beatae describantur atque illustrentur (cf. Birt, Elpides, p. 19 sq.), profectas esse apparet. Cuiusmodi sententiis vanis turbulentisque fortasse laudes Penias oppositae sunt, quibus sine pauperibus artes exercentibus civitatem exstare non posse ostenderetur. Sed certius quicquam dicere non licet.

[2]) Valde dolendum est, quod non satis, quid Dicaearchus et Theophrastus peripatetici de initiis hominum iudicaverint, perspicere possumus. Hoc e frag-

autem habere possumus Democriti de initiis hominum sententias magnam vim habuisse ad Epicuri doctrinam. **Epicurus,** ut in philosophia naturali Democritum est secutus, etiam descriptionem illam cultus humani progredientis suscepisse videtur.

Egestas autem, cui Democritus progressus omnes attribuit, nobis maxime in fragmento decimo Diogenis Oenoandensis, qui fuit Epicureus, occurrit: πάσας γὰρ τὰς τέχνας ἐγέννησαν αἱ χρεῖαι καὶ περιπτώσεις μετὰ τοῦ χρόνου. αἱ χρεῖαι καὶ αἱ περιπτώσεις μετὰ τοῦ χρόνου artes procreaverunt: hoc loco rursus de vi temporis agitur, quae res nobis illud Moschionis fragmentum sextum in memoriam revocat. Apud Epicurum autem ipsum egestas invenitur in fragmento 524 (Us. p. 319): ἐὰν δέ τις ἐν μὲν φυσικοῖς θεὸν ὑμνῇ καὶ δίκην καὶ πρόνοιαν, ἐν δὲ ἠθικοῖς νόμον καὶ κοινωνίαν καὶ πολιτείαν, ἐν δὲ πολιτείᾳ τὸ καλόν, ἀλλὰ μὴ τὴν χρείαν, διὰ τί λάθη βιώσας; Constitu-

mento Dicaearchi primo (a Porphyrio nobis tradito, F. H. G Mueller II. p. 223) colligi potest: Dicaearcho persuasum fuit paulatim homines e vita simplici ad cultum meliorem esse provectos, sed homines illorum temporum priscorum, quia neque curis neque laboribus premerentur, beatiores fuisse statuit. Qua vitae priscae laude Dicaearchi cogitatio valde a Democriti vel Protagorae sententiis differt. Paulum autem Democriti doctrina in memoriam nobis revocatur, si apud Porphyrium haec verba legimus: προϊόντος δὲ κατὰ μικρὸν οὕτω τοῦ χρόνου, κατανοοῦντες ἀεὶ τῶν χρησίμων εἶναι δοκούντων, εἰς τὸ τρίτον τε καὶ γεωργικὸν ἐνέπεσον εἶδος Quo loco et paulatim homines esse provectos et utilitatem alicuius fuisse momenti legimus. Sed animum attendas ad vocem κατανοοῦντες: homines quid sit utile cognoscunt, indoli igitur, menti humanae progressus a Dicaearcho tribuitur.

Dicaearchus uberius in libro, qui Βίος Ἑλλάδος inscribitur, de initiis hominum disseruisse videtur. Theophrastum autem occasione data pauca de progressibus hominum protulisse verisimile est (cf. Pohlenz, Charites für Leo, p. 85 sq.). Qui homines primos fuisse miseros censuisse videtur: (Porph. de abst. c. 5) . . καὶ πλάνης καὶ μαστὴρ ὁ τότε ἄνθρωπος γιγνόμενος τῆς ἀναγκαίας ζωῆς μετὰ πολλῶν πόνων πῶς καὶ δακρύων σταγόνας τούτων ἀπήρξατ' ἂν τοῖς θεοῖς; Homines igitur victum necessarium quaerunt, miseri sunt, in terra vagantur. Maioris autem fortasse momenti est fragmentum quoddam mirum, quod Theophrasto attribuitur (Philo, de incorrupt. mundi, p. 512 M): εἰκὸς γάρ, μᾶλλον δὲ ἀναγκαῖον ἀνθρώποις συνυπάρξαι τὰς τέχνας ὡς ἂν ἰσήλικας οὐ μονον ὅτι λογικῇ φύσει τὸ ἐμμέθοδον οἰκεῖον, ἀλλὰ καὶ ὅτι ζῆν ἄνευ τούτων οὐκ ἔνεστι. Quibus ex verbis, si vere Theophrasti cogitationem reddunt, haec colligere licet: secundum Theophrasti sententiam artium inventio non solum menti humanae (ὅτι λογικῇ φύσει τὸ ἐμμέθοδον οἰκεῖον), sed etiam cuidam necessitati (καὶ ὅτι ζῆν ἄνευ τούτων οὐκ ἔνεστι) tribuenda est; neque vero paulatim homines progrediuntur, sed eodem fere tempore, quo homines, etiam artes oriuntur. Ceterum de Theophrasti sententiis huc pertinentibus cf. Jac. Bernays, Theophrasts Schrift über Frömmigkeit 1866, p. 44 sqq.

tionem igitur rei publicae Epicurus ad egestatem refert; qua cum cogitatione conferri possunt sententiae Epicuri 36 et 37, quibus necessitas communitatis vitae (αἱ χρεῖαι τῆς πρὸς ἀλλήλους κοινωνίας) atque iustitia ita effecta tractantur. In sententia 37 illud iustum esse dicitur, quod in rebus ad communem vitam necessariis utile est neque dubitari potest, quin omnia secundum Epicurum utilitas atque necessitas effecerint. Similes autem sententias Anonymus Iamblichi in fragmento 6 praebet (cf. p. 24). Quae similitudo Democritum quoque simili modo de ortu urbis et legum iudicavisse fortasse testatur.

Sed nobis, si Epicuri de initiis hominum doctrinam plane cognoscere volumus, Lucreti, qui in universum philosophiam Epicuream versibus explicavit, liber quintus est percensendus, ubi descriptionem, quae cum Democriti disputatione valde congruat, poeta praebet: ex initiis simplicibus rudibusque homines paulatim provecti sunt ad meliorem statum, dux autem et magistra hominum in progrediendo ἡ χρεία est, quae natura ipsa cogente eos ad varia inventa provehit. Cf. v. 1028, 9:

at varios linguae sonitus natura subegit
mittere et utilitas expressit nomina rerum

et v. 1354 sqq.:

et facere ante viros lanam natura coegit
quam muliebre genus; nam longe praestat in arte
et sollertius est multo genus omne virile.

In versibus autem 1102 sq. naturam hominum magistram invenimus; praeterea in versibus 1361, 62:

at specimen sationis et insitionis origo
ipsa fuit rerum primum natura creatrix

et v. 1379 sqq.:

at liquidas avium voces imitarier ore
ante fuit multo quam levia carmina cantu
concelebrare homines possent aurisque iuvare.

Qua cum sententia bene conferri potest fragmentum Democriti 154a, quo homines dicit discipulos animalium esse, τῶν λιγυρῶν, κύκνου καὶ ἀηδόνος, ἐν ᾠδῇ κατὰ μίμησιν. Summi autem momenti sunt versus 1448 sqq., quibus Lucretius descriptionem initiorum generis humani concludit:

navigia atque agri culturas moenia leges
arma vias vestes et cetera de genere horum
praemia, delicias quoque funditus omnis,
carmina picturas et daedala signa polire,
usus et impigrae simul experientia mentis
paulatim docuit pedetemptim progredientes:
sic unum quicquid paulatim protrahit aetas
in medium ratioque in luminis erigit oras.

Omnes igitur gradus cultus progredientis ad usum (χρείαν), ad experientiam mentis (πεῖραν), ad aetatem omnia protrahentem (χρόνον) referuntur[1]. Artibus autem necessariis Lucretius ut Democritus annectit delicias. Videmus igitur Lucreti descriptionem in universum ad Democriti doctrinam bene convenire. Quo facilius nunc Democritum talem descriptionem cultus orientis crescentisque protulisse, qualem antea ei tribuimus, statuemus.

Sed unum est addendum: Lucretius, quamquam diserte miseriam hominum antiquissimorum depingit, tamen eos non prorsus miseros fuisse iudicat. Bestiae illo tempore homines lacerabant; neque vero homines plures peribant quam hodie, cum nunc bella et navigatio homines catervatim consumant (v. 982 sq.). Maioris autem momenti sunt versus 991 sqq.: olim homines, cum cibo indigerent, moriebantur, hodie multi propter luxuriem pereunt; olim nescii saepe rebus mortiferis vescebantur, hodie alteri homines alteris venena comparant. Praeterea huc spectant versus 999 sqq.: casae exstruebantur, ignis inveniebatur, vestimenta facere homines incipiebant; subsequebatur autem hunc progressum effeminatio hominum. Quo modo Lucretius, cum cultum humanum vituperat, novi aliquid in descriptionem cultus orientis infert. Quae res mihi ab Epicuro addita esse videtur ad descriptionem Democriteam. Nam optime haec vituperatio ad Epicuri de vita modica sententias quadrat (conferas potissimum sententiam 29).

[1] necessitas significatur in versibus 1028 et 1354: natura subegit, natura coegit; vocem usus vel utilitas plerumque in libris Latinis pro voce χρεία invenimus; Horatius, qui in satira I 3 nonnullas sententias epicureas praebet, dicit

v. 98 utilitas iusti prope mater et aequi

et v. 102 pugnabant armis, quae post fabricaverat usus.

Sed negari non potest apud Lucretium utilitatem et consuetudinem magis praedicari quam necessitatem.

Etiam Tzetzes (ad Hes. opera, Gaisford Poetae min. Gr. t. III p. 59) hanc cultus humani vituperationem praebet[1]). Qui cultum orientem ita, ut cum Diodoro plane consentiat, describit, sed homines igne cognito et artibus inventis effeminatos esse praedicat. quam rem Hesiodus Pandorae fabula depinxerit. Quam vituperationem Tzetzem e fonte Epicureo hausisse Norden statuit. Etiam Seneca in epistula 90, qua Posidonii de regno philosophorum sententiam impugnat, cultum humanum, qui ultra res ad vitam vere necessarias progressus sit, homines corrupisse iudicat (cf. maxime §§ 16, 19). Verisimillimum autem mihi est Senecae eas cogitationes, quas sententiis Posidonii opponat, e fonte Epicureo fluxisse. Attribuam igitur hanc cultus humani vituperationem Epicuro, cuius ad praecepta ethica aptissima sit. Quamquam etiam huius sententiae ansam Democritus dedit, qui iam artes necessarias atque non necessarias discrevisset[2]).

Nunc ad aemulam Epicureorum, ad scholam **Stoicorum** nos convertamus. Atque quid veteres Stoici de cultu progrediente iudicaverint, nescimus. Tantum constat Aratum, qui Stoicorum doctrinam probabat, fabulam de aurea aetate praebuisse illam quidem, sed ita mutavisse, ut homines tum agri culturae operam dedisse exponeret (cf. v. 110, 111). Accuratius autem de doctrina **Posidonii** iudicare possumus. Quam doctrinam imprimis e Senecae epistula 90. qua auctor cum Posidonii sententiis pugnat, atque e nonnullis Ciceronis locis, quos ad Posidonium referendos esse satis certum est, (ut Tusc. V 5. 6: I 62) cognoscimus: initio generis humani homines miseri vivebant, dispersi atque victu necessario egentes, tum autem sapientes homines e miseria ceteros eduxerunt, unum enim in locum homines congregaverunt, artes et artificia invenerunt atque ea homines docuerunt. Secundum igitur Posidonii sententiam progressus cultus humani menti hominum quorundam debentur. Homines ii, qui maxime mente divina sunt praediti, artes invenire atque excogitare possunt.

Qua in doctrina vim necessitatis vel egestatis non invenimus,

[1]) confer de hoc loco ea, quae Norden. Jahrb. f. klass. Phil. Suppl. 1893, p. 411 sqq. exposuit.

[2]) etiam Dicaearchus simili modo de progressu hominum iudicavit, cf. p. 41².

sed mens divina hic progressus efficit. Quod bene e Senecae epistula intellegere possumus. Seneca enim nusquam necessitatem vel egestatem commemorat. Qui, cum Posidonii sententiam, secundum quam philosophi multas artes invenerunt, impugnet, haec dicit (§ 16): „simplici cura constant necessaria: in delicias laboratur. non desiderabis artifices: sequere naturam. illa noluit esse districtos. ad quaecumque nos cogebat, instruxit". Quae verba si legimus, quaerere nobis licet, cur Seneca, si in Posidonii doctrina χρείαν invenerit, ei non obiciat: „Tu ipse necessitatem philosophis fuisse causam artium inveniendarum censes. Cur igitur iis etiam rerum non necessariarum inventionem tribuis?" Neque aliter res se habet § 18, ubi Seneca dicit: „modus enim omnium prout necessitas erat". Quibus verbis Seneca Posidonii cogitationem impugnat: ergo apud Posidonium necessitatem omnia efficientem non invenit! Praeterea autem animum attendas ad haec verba (§ 35): „illo rudi saeculo, quo adhuc artificia deerant et ipso usu discebantur utilia"; etiam haec verba, secundum quae paulatim res utiles usu ab hominibus discebantur, Posidonio opponuntur.

Videmus igitur in doctrina Posidonii χρείαν vel ἀνάγκην magnam vim habuisse veri dissimile esse. Quae opinio locis illis Ciceronis probatur. Sed Jaeger (Nemesius von Emesa, Berol. 1914, p. 123) etiam apud Posidonium χρείαν multum valuisse censet. Qua de Jaegeri opinione nonnullis verbis agam.

Nemesium in libro „περὶ φύσεως ἀνθρώπου" saepe sententias Posidonianas praebere Jaeger ostendit. Atque etiam descriptionem brevem vitae antiquissimae miserae et cultus orientis, quam Nemesius exhibet (p. 50, 7—52, Matthaei), Posidonio Jaeger attribuit. Qua in descriptione Nemesius primum homines antiquissimos neque a tempestatibus vel frigore vel bestiis se tueri neque victum necessarium sibi comparare potuisse praedicat: ἀναγκαίως ἐσθῆτος ἐδεήθημεν . . . διὰ ταῦτα μὲν τροφῆς καὶ ἐσθῆτος δεόμεθα. οἰκήσεως δὲ καὶ ἐδεήθημεν . . . διὰ δὲ τὰς δυσκρασίας τῶν ποιοτήτων καὶ τὴν λύσιν τῆς συνεχείας τοῦ σώματος ἰατρῶν καὶ θεραπείας ἐν χρείᾳ κατέστημεν . . . χρεία τοίνυν ἀνθρώπῳ τροφῆς μὲν καὶ πότου . ., ἐσθῆτος δὲ . ., οἴκου δὲ . ., θεραπείας δέ. Tum pergit Nemesius: διὰ δὲ τὰς τέχνας καὶ τὰς ἐπιστήμας καὶ τὰς ἀπὸ τούτων χρείας ἀλλήλων δεόμεθα· διὰ δὲ τὸ δεῖσθαι ἀλλήλων εἰς ταὐτὸ πολλοὶ συνελθόντες κοινωνοῦμεν ἀλλήλοις

κατὰ τοῦ βίου χρείας. Qua a sententia Nemesius ad dogmata quaedam christiana transit.

Quam descriptionem cum legimus, unum maxime est notandum: quomodo artes ortae sint, apud Nemesium non cognoscimus. Exponit enim primum homines priscos cibo, vestimento, aliis rebus indiguisse atque tum ilico ad originem convictus hominum transit: homines, cum alter alterius auxilio indigeat, se congregant. Egestatem tempore prisco aliquid valuisse hoc loco dici concedo, sed ex hac Nemesii descriptione χρείαν in regno philosophorum Posidoniano magni fuisse momenti colligere non ausim. Accedit, quod mihi est valde dubium, utrum Nemesius hic Posidonium sit secutus necne. Qua de re hoc loco non disseram[1]). Atque quod Jaeger statuit Senecam in epistula nonagesima, quia non cum Posidonii de χρείᾳ sententia, sed cum illa de philosophis artium inventoribus cogitatione pugnasset, χρείαν neglexisse: supra me ostendisse puto quosdam epistulae locos non intellegi, si etiam apud Posidonium egestati progressus hominum tributos fuisse credamus.

Sed res ita mihi se habere videtur: Democritus necessitatem vel egestatem homines unum in locum compulisse docuit, apud Posidonium autem ratione quadam viri sapientes homines congregant; Democritus necessitatem, ut homines laborarent et artes invenirent, effecisse professus est, apud Posidonium autem viri sapientes ingenia hominum ceterorum promovenda esse cognoscunt. Fortasse χρεία apud Posidonium commemorata est, quia homines antiquissimi, quos sapientes viri docebant, multis rebus indigebant. Accedit, quod utilitatem alicuius fuisse momenti in Posidonii doctrina certum videtur[2]). Sed haec χρεία apud Stoicum non multum valuit: „homini est mens divina; itaque χρείας

---

[1]) sed duas res tangam: mirum in modum haec Nemesii pars cum illa Platonis de origine urbis narratione, quam in Re publica legimus, congruit; conferas p. 369 B et C cum Nemesii verbis. Ad eas res, quibus apud Platonem homines prisci carent, hic θεραπεία accedit. Sed indigentne homines antiquissimi medicina? Accedit, quod tractatio medicinae, quae sit uberior neque ad loci symmetriam apta, hic multum habet miri. Suntne fortasse verba Nemesii ad librum quendam medici alicuius referenda? In libro π. ἀρχ. ἰητρ. iam illam de necessitate sententiam ad librum medicum adhibitum invenimus.

[2]) cf. Cic. de leg. 26, de nat. d. II 148; praeterea confer Norden, Jahrb. f. klass. Phil. 1893, Suppl. p. 417 sq.

cognoscere atque tollere potest". Hoc Posidonium iudicasse opiner. Sapientes autem sunt illi viri, qui, cum mente divina maxime sint praediti, optime inopiam rerum quarundam cognoscunt atque res ad vitam utiles excogitant. Sapientia autem, quae illo rudi tempore homines congregavit et artes docuit, postea secundum Posidonii sententiam ad res meliores progreditur atque fit philosophia (cf. Cic. Hort. fr. 32)[1]).

Sed unum ad ea, quae disputavi, addam. Cicero in Tusc. V 5, 6 his verbis philosophiam laudat „tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti": magistram autem Diodorus egestatem nominat. Atque cum apud Ciceronem legimus haec de philosophis verba „a quibus vita hominum instructa primis est", in memoriam haec verba revocantur, quae Seneca in epistula 90, 16 Posidonii sententiam refellens dicit: „sequere naturam: ad quaecumque nos cogebat, instruxit". Crediderim autem Posidonium singulis rebus doctrinae Democriti usum esse (cf. Reinhardt, Herm. 47; Gerhaeusser, Der Protreptikos des Posidonius, Diss. Heidelb. 1912; Pohlenz, Berl. Phil. Wochenschrift 1913), sed Democriti sententias sic vertisse, ut mens humana ipsa cultum humanum procrearet. Ita Posidonius ad Protagoram accedit. Protagoras hominem sua indole e miseria et egestate ad cultum meliorem ductum esse docuit; Posidonius autem λόγον θεῖον, mentem divinam hominum omnia effecisse professus est. Atque ita illae duae viae rationesque descriptionum cultus humani initiorum quas in literis prioribus invenimus, nunc denuo nobis occurrunt: Protagoram Posidonius, Democritum Epicurus secutus est[2]).

---

[1]) similiter iam iudicat Aristoteles, Protr. fr. 53 (Rose).

[2]) duas res ad extremum tangam. Etiam Panaetius similiter atque Protagoras de progressu hominum iudicavisse videtur; conferas Cic. de off. I 11: „homo quod rationis est particeps, causas rerum videt . . ., ad vitam degendam facile res necessarias praeparat" et I 158, ubi Cicero sententiam eorum impugnat, qui homines necessitate permotos (non ratione) se congregavisse statuant!

Altera autem res, quam hic breviter tangam, est haec: supra cum de Democriti doctrina disputarem, etiam locos quosdam Isocratis attuli, secundum quos λόγος, h. e. facultas persuadendi progressus hominum efficiebat. Eandem autem sententiam apud Ciceronem de inv. I 2, 2 et de or. I 33, 34 invenimus. Crasso autem, qui in libro de or. hanc cogitationem profert,

Sed satis de his rebus. Nunc breviter de quibusdam descriptionibus cultus orientis, quae scriptis vel carminibus nonnullis diversi generis sunt insertae, disseram. Hinc enim videbimus, quam late propagata sit ea sententia, qua necessitas mater progressus humani dicitur.

Incipiamus autem a fragmentis quibusdam, quae ex **Eratosthenis** carmine, quod Hermes inscribitur, nobis conservata sunt. Plutarchus in libro περὶ μαντικῆς haec verba protulit (Erat. fragm. 10, 11 H): τῶν τεχνῶν ὡς ἔοικε τὰς μὲν ἡ χρεία συνέστησεν ἐξ ἀρχῆς καὶ μέχρι νῦν διαφυλάσσει. „χρειὼ πάντ' ἐδίδασκε· τί δ' οὐ χρειώ κεν ἀνεύροι" τῶν ἀναγκαίων· ὑφαντικὴν οἰκοδομικὴν ἰατρικὴν γεωργίαν καὶ ὅσα περὶ γεωργίαν ἀναστρέφονται· τὰς δ' ἡδονή τις προσηγάγετο καὶ κατέσχε. Verba autem „χρειὼ πάντ' ἐδίδασκε· τί δ' οὐ χρειώ κεν ἀνεύροι" ex Eratosthenis Herma sumpta esse alter Plutarchi locus demonstrat: Ἀρχύτας ἀναγνοὺς τὸν Ἐρατοσθένους Ἑρμῆν τοῦτον ἐπήνεγκε τὸν στίχον:

χρειὼ πάντ' ἐδίδασκε· τί δ' οὐ χρειώ κεν ἀνεύροι

καὶ τοῦτον

ὀρθοῦ· καὶ γὰρ μᾶλλον ἐπωδίνουσι μέριμναι.

Quae fragmenta multas difficultates praebent[1]). Traditum est nobis in illo Plutarchi loco verbum ἐπήνεγκε, quod Knaack (Realenz. III 601) accipit duos versus ab Archyta poeta esse additos arbitratus[2]). Sed haec opinio mihi valde displicet. Concedo sane cogitari posse alterum poetam Alexandrinum versus aliquos ad carmen alterius addidisse (quamquam hanc rem verisimillimam esse non puto), sed ei versus, de quibus hic agitur, non eiusmodi sunt, ut facile ab alieno poeta esse insertos credamus (imprimis non video, quomodo versus ὀρθοῦ· καὶ γὰρ μᾶλλον ἐπωδίνουσι μέριμναι addi potuerit). Cobetus autem iam recte vocem

---

Scaevola illam Posidonii doctrinam opponit (§§ 35 sqq.): non diserti, sed sapientes hominum cultum meliorem effecerunt. Quibus ex locis hoc colligere licet Ciceronem ipsum paulatim ab illa eloquentiae laude ad hanc Posidonii sententiam transisse. Illam autem de vi eloquentiae cogitationem Ciceronem scholis rhetorum debere facile putamus; M. Pohlenz (Berl. phil. Wochenschrift 1913, p. 1 sq.) de Philone cogitat.

[1]) confer, quae Hiller (Erat. carm. rel. 1872) ad fragmenta adnotavit.

[2]) quod ad hunc Archytam attinet, Meineke hic Archytam poetam, qui Amphissae natus sit et fuerit Eratostheni aequalis, significari opinatur.

ἐπήνεσε pro ἐπήνεγκε coniecisse videtur. Archytas igitur hos versus aequalis sui legens laudavit.

Quorum versuum posterior quandam interpretandi difficultatem nobis praebet. Atque diversa ratione traditus est: codices enim Stobaei AB verba ὀρθοῦ· καὶ γὰρ .. habent, cum Vind. ὀρθοῦ γὰρ· καὶ .. praebeat. Mihi quidem lectio codicum AB melior esse videtur atque sententiam idoneam habere: animum tuum erige, nam plus tum tuae curae pariunt, meliores res tibi efficiunt quam si curis frangeris. Quae sententia apta est ad versum priorem[1]. Qui sententiam de χρείᾳ matre omnium bonorum Democriteam praebere videtur. Ex loco autem Plutarchi altero inter duos versus rationem esse certam colligendum esse opinor (quod etiam Hiller iudicat). Sed de sententiarum serie, e qua versus sint prompti, certi quicquam dicere non possumus. In carminibus doctis sententiae eiusmodi facile prolatae esse possunt. Lepida autem est opinio Hilleri, qui putat Hermam, postquam in angustias incidisset, haec verba dixisse, i. e. cum bobus Apollinis raptis dolus, ne vestigia furti apparerent, ei esset inveniendus. Cogitari autem potest Hermam hac occasione data descriptionem brevem initiorum generis humani, cuius progressus egestas effecisset, praebuisse. Quae opinio ea re mihi probari videtur, quod Plutarchus versum priorem ad disputationem, qua alteram partem artium egestati, alteram voluptati tribuendam esse demonstret, adhibet. Facile enim Plutarchum versum e simili narratione prompsisse cogitamus.

Facilius autem Eratosthenem descriptionem cultus humani initiorum in carmine protulisse credemus, si nonnullos scriptores Romanos, qui descriptiones eiusmodi libris suis inseruerunt, inspexerimus.

Atque primum ad **Vitruvii** librum alterum de architectura conscriptum transeamus. Vitruvius initio libri alterius primum illam de Dinocrate architecto narrationem profert, tum de origine et progressu architecturae disputat (II 1, 1—6). Quae disputatio re vera est descriptio cultus humani orientis progredientisque, sed ad consilium libri, qui sit de architectura, accommodata.

[1] saepius cum egestate curas invenimus coniunctas. cf. infra p. 54 sqq.

Descriptioni autem Vitruvius haec verba praemittit: „sed antequam naturales res incipiam explicare, de aedificiorum rationibus, unde initia ceperint et uti creverint eorum inventiones, ante ponam et insequar ingressus eorum, qui antiquitates rerum naturae et initia humanitatis et inventiones perquisitas scriptorum praeceptis dedicaverunt . . .“ Quem auctorem sit secutus, Vitruvius non dicit. Sed descriptio ab eo prolata multis in rebus cum narrationibus Diodori vel Lucreti congruit.

Vitruvius ab illa misera condicione hominum antiquissimorum incipit: ,,Homines vetere more ut ferae in silvis et speluncis et nemoribus nascebantur ciboque agresti vescendo vitam exigebant“ (quibus cum verbis conferas Diod. I 8, 1: ἐν ἀτάκτῳ καὶ θηριώδει βίῳ καθεστῶτας . .; 8, 7 . . εἴς τε τὰ σπήλαια καταφεύγειν . . .; 8, 5 τροφῆς δὲ ἡμέρου ἀνεννόητοι . .) Qui, cum quando ignem ramis arborum tritis effectum videant, eum effugiunt. ,,postea re quieta propius accedentes cum animadvertissent commoditatem esse magnam corporibus ad ignis teporem, ligna adicientes et ita conservantes et nutu monstrantes ostendebant, quas haberent ex eo utilitates.“ Ut apud Diodorum homines, ut se a bestiis tueantur, in unum locum coeunt, ita apud Vitruvium homines in locum eundem se congregant utilitatis causa, quam eis praebet ignis. Agitur autem utroque loco de utilitate (apud Diodorum necessitas magis premitur). Atque alterum locum apud Diodorum legimus, qui valde verbis Vitruvi est similis. I 13, 3 enim Hephaestum, qui olim in Aegypto regnasset, arborem fulmine percussam conspexisse exponitur, ἡσθῆναι διαφερόντως ἐπὶ τῇ θερμασίᾳ, λήγοντος δὲ τοῦ πυρὸς ἀεὶ τῆς ὕλης ἐπιβάλλοντα καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ διατηροῦντα τὸ πῦρ προκαλεῖσθαι τοὺς ἄλλους πρὸς τὴν ἐξ αὐτοῦ γινομένην εὐχρηστίαν. Quae verba bene cum Vitruvi loco congruunt; utramque autem ignis inveniendi rationem Lucretius in libro V, v. 1077 praebet: ignem homines cognoscere potuerunt ex fulmine et ex ramis arborum tritis. Diodorus autem in rebus Aegyptiacis tractandis ad Hecataeum Abderitam, quem Democritum secutum esse satis certum videtur, se applicavit. Quod ad illam initiorum cultus humani descriptionem a Diodoro in capite octavo prolatam attinet, hic de ignis inventione non multa legimus: γνωσθέντος δὲ τοῦ πυρὸς καὶ τῶν ἄλλων τῶν χρησίμων κατὰ μικρὸν καὶ τὰς τέχνας εὑρεθῆναι . . Sed etiam hoc loco ignem aliquando cognitum esse dicitur. Quas

res si omnes perspexerimus, facile, ut Democritum simili modo de ignis inventione iudicavisse statuamus, adducimur. Atque notandum est Diodori descriptionem esse epitomam!

Sed ad Vitruvi explicationem iam revertamur. Exponitur paulatim linguam in congressu hominum oriri, quam ad rem „cotidiana consuetudo“ multum valeat. Deinde ignem, ut homines uno loco habitent et casas simplices construant ex foliis et cavernis, efficere explicatur; „nonnulli hirundinum nidos et aedificationes earum imitantes de luto et virgulis facere loca, quae subirent“. Imitatio igitur naturae, quam apud Democritum invenimus, hic nobis occurrit: homines secundum Democriti sententiam discipuli animalium fuerunt, χελιδόνος autem ἐν οἰκοδομίᾳ! „Tunc observantes aliena tecta et adicientes suis cogitationibus res novas efficiebant in dies meliora genera casarum“: hic paulatim homines ad meliora esse provectos praedicatur atque de experientia agitur, quacum πεῖραν Diodori vel experientiam mentis Lucreti conferre licet. „Cum autem cotidie faciendo tritiores manus ad aedificandum profecissent et sollertia ingenia exercendo per consuetudinem ad artes pervenissent, tum etiam industria in animos eorum adiecta perfecit, ut qui fuerant in his studiosiores, fabros esse se profiterentur . . . , tunc vero ex fabricationibus aedificiorum gradatim progressi ad ceteras artes et disciplinas, ex fera agrestique vita ad mansuetam perduxerant humanitatem“.

Ita Vitruvius de initiis cultus humani iudicat. Miri autem aliquid habet, quod primum igne cognito casae exstruuntur atque aedificia, tum homines paulatim in tectis exstruendis progrediuntur, postremo autem ceterae artes oriuntur. Quae res facile explicari potest: descriptio initiorum cultus humani sollemnis hic ad librum, quo de architectura agitur, est adhibita.

Sed in reliquis rebus narratio Vitruvi bene cum descriptione Diodori vel Lucreti congruit: paulatim homines e vita fera ad mansuetam provehuntur consuetudine, experientia, utilitate viam monstrantibus. Concedo de necessitate hic nihil dici, sed miseria et egestas hominum antiquissimorum depinguntur. Cur vero, quamquam ad narrationem Vitruvi χρεία vel ἀνάγκη aptissima sit, auctor necessitatem neglexerit atque magis utilitatem, experientiam, consuetudinem praedicaverit, nescio. In universum Vitruvi descriptio plane similis est Diodori et Lucreti disputationibus.

Aliter autem de hac Vitruvi descriptione Poppe (Vitruvs Quellen im zweiten Buch „de architectura", Diss. Kiel 1909) iudicat. Qui libello suo Vitruvium in libro altero nonnullas sententias Posidonianas, quas e Varronis de architectura libro hauserit, praebere atque in libro altero conscribendo in universum ad Varronem se applicavisse demonstrare conatur. Atque etiam illam initiorum cultus humani descriptionem ad Posidonium spectare censet (p. 6 sqq.). Cui opinioni assentiri non possum. Vidimus enim multas res descriptionis cum Diodori vel Lucreti disputationibus plane congruere. Nulla autem res, ut sententias Posidonianas hic esse prolatas statuamus, nos adducit. Atque animum attendas ad haec Vitruvi verba: „cum . . . sollertia ingenia exercendo per consuetudinem ad artes pervenissent", ingenia exercentur et ita paulatim ad artes inveniendas fiunt apta! Secundum autem Posidonii sententiam mens humana, quia cognata erat cum mente divina, artes invenit. Neque quicquam apud Vitruvium de philosophis vel viris singulis hominum magistris legimus. Ei autem aliorum auctorum loci, quibuscum Poppe Vitruvi disputationem contulit, non bene sunt electi. Verba enim e Senecae epistula nonagesima allata ea de causa apta non sunt, quia Seneca his locis Posidonii sententias impugnat. Versus autem Manili, quos Poppe comparationis causa adhibet, prorsus non ad Posidonium spectare infra demonstrabo (p. 57 sqq.). Praeterea Poppe nonnullos Ciceronis locos affert (quos ego in pag. 45 tractavi); quibus locis sane sententias Posidonianas legimus; sed cum his locis de philosophis, qui homines priscos unum in locum congregaverint atque docuerint, agatur, nihil apud Vitruvium de viris singulis legimus, secundum cuius sententiam homines complures in eundum locum coierunt utilitatis causa, quam ignis eis praebebat. Quomodo igitur res se habet?

Mea quidem sententia res duabus rationibus explicari potest: aut Vitruvius descriptionem initiorum cultus humani ipse ad ea, quae ex Varronis libro hauserat, addidit — quod, cum de prooemio agatur, facile intellegimus; eiusmodi autem descriptiones Vitruvi tempore prorsus propagatas fuisse certum est[1]) —, aut

---

[1]) confer verba Vitruvi supra a me allata: „ . . insequar ingressus eorum, qui antiquitates rerum naturae et initia humanitatis et inventiones perquisitas scriptorum praeceptis dedicaverunt".

Varro, quem Vitruvius in universum secutus esse videtur, descriptionem praebuit, quae non plane cum Posidonii sententiis congrueret[1]).

Sed hactenus de Vitruvi disputatione. Nunc transeamus ad duos poetas, qui descriptiones huiusmodi carminibus suis inseruerunt. Atque primum de narratione cultus humani initiorum, quam Vergilius in libro georgicon primo praebet, disseram.

Vergilius, qui libro primo agri culturam tractat, in versibus 118 sqq. de periculis, quae agri culturae grues, herbae inutiles, umbra nocens comparant, agit. Tum pergit (v. 121):

pater ipse colendi
haud facilem esse viam voluit, primusque per artem
movit agros, curis acuens mortalia corda,
nec torpere gravi passus sua regna veterno.
ante Iovem nulli subigebant arva coloni.
ne signare quidem aut partiri limite campum
fas erat: in medium quaerebant ipsaque tellus
omnia liberius, nullo poscente, ferebat.

Homines igitur antiquissimi saeculo aureo vivebant, quo terra nullo poscente victum dabat. Quam vitam beatam Vergilius apud Hesiodum[2]) invenit:

(v. 117) . . . καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
αὐτομάτη, πολλόν τε καὶ ἄφθονον.

Gradatim apud Hesiodum vita hominum difficilior fit atque miserior. Di enim homines magno cum negotio victum quaerere voluerunt:

(v. 42) κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισι
et (v. 47, 48) ἀλλὰ Ζεὺς ἔκρυψε χολωσάμενος φρεσὶν ᾗσιν,
ὅττι μιν ἐξαπάτησε Προμηθεὺς ἀγκυλομήτης.

Atque nunc est miseria in terra: χαλεπὰς δὲ θεοὶ δώσουσι με-

[1]) Varronem illam veram Posidonii sententiam suscepisse certum videtur; qua de re conferas Norden, Jahrb. f. klass. Phil. suppl. XIX p. 426. Varro, ut verisimile est, Saturnum incolis Italiae priscis leges dedisse et eos agri culturam docuisse exposuit.

[2]) ad Hesiodum Vergilium in multis rebus se applicavisse certum mihi videtur; de ratione Hesiodi et Vergili cf. H. Schultz, Die Georgica in Vergils Stilentwicklung, Charites für Leo, p. 359 sqq.

ῥίμνας (v. 178). Vergilius autem aliter iudicat: Juppiter noluit sua regna torpere gravi veterno. Apud Vergilium et apud Hesiodum olim fuisse auream vitam atque nunc labores et miseriam in terris esse legimus. Sed apud Hesiodum Juppiter ira incensus condicionem hominum commutavit, apud Vergilium:

ut varias usus meditando extunderet artes
paulatim.

Apud Hesiodum curae graves in poenam hominibus dantur, apud Vergilium Juppiter curis acuit mortalia corda (v. 123). Videmus igitur illam de progressu cultus humani sententiam hic cum fabula aurei saeculi coniunctam. Saeculum aureum ad finem venit, ut hominum corda acuerentur et artes variae invenirentur. „usus meditando extundit artes“: quam cum sententiam legimus, nobis verba Lucreti in memoriam revocantur:

(V v. 1452, 53) usus et impigrae simul experientia mentis
paulatim docuit pedetemptim progredientis.

et (v. 1029) utilitas expressit nomina rerum. Apud utrumque poetam de egestate agitur!

Vergilius in descriptione pergit exponens agri culturam, navigationem, astrorum cognitionem, venationem paulatim oriri atque in usu fieri instrumenta ferrea. Finem autem facit poeta narrationis his verbis:

tunc variae venere artes. labor omnia vicit
improbus et duris urgens in rebus egestas.

Vergilius acrius quam Lucretius premit egestatem: „duris urgens in rebus egestas“; etiam de labore poeta loquitur, fortasse hic ab Hesiodo, ut laborem commemoraret, est permotus (cf. infra p. 17 sqq.).

Quaeri autem potest, utrum Vergilius ipse saeculi aurei fabulam cum illa de progressu cultus humani sententia ita coniunxerit an cogitationes iam apud alium invenerit conexas. Vergilius fuit Epicureus et in scholis Sironis vel Philodemi facile multa de ortu et progressu cultus humani audire potuit. Vix autem ab Epicureis eam sententiam accipere poterat, qua Juppiter labores egestatemque hominibus non sine benevolentia dat. Quam ad cogitationem aliquid fortasse haec verba Hesiodi valere potuerunt (v. 303, 304):

τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι καὶ ἀνέρες ὅς κεν ἀεργὸς
ζώῃ, κηφήνεσσι κοθούροις εἴκελος ὄργην.

Neque vero ea verba Vergilium ad sententiam illam adduxisse verisimile mihi videtur. Maioris auctoritatis Arati quidam locus fuisse potest. Iam supra (p. 45) commemoravi Aratum tempore aureo homines laborasse atque agri culturae operam dedisse praedicare. Qua re Arati sententia ab Hesiodi et Vergili cogitationibus differt. Sed Arato Juppiter amicus omnipotens hominum est, qui agros colere homini esse utile censeat (conferas versus 5 sqq.), Aratus πρόνοιαν Iovis praedicat. Apud Vergilium quoque benevolentia, non ira Iovis homines laborare et artes invenire coguntur. Videmus igitur sententiam quandam Vergili loco similem apud Aratum inveniri. Neque vero similitudo est tanta, ut facile ad Aratum Vergilium se applicavisse statuamus.

Accedit autem, quod quaedam res nos, ut totum locum v. 121—146 ex aliquo carmine Vergilio fluxisse opinemur, adducit. Facile enim cognoscimus poetam in versibus 118 sqq. aliqua cum difficultate illam de hominum progressu narrationem enumerationi operum agricolae inseruisse. Versus 118—120 poeta, ut descriptionem initiorum generis humani annectere possit, profert atque versibus 147—159 paulatim ad propositum revertitur. Sententia autem versuum 147 sqq. paulum cum cogitatione disputationis antecedentis discrepare mihi videtur: Ceres homines ferro terram vertere instituit; sed in versu 133 dicitur: „ut varias usus meditando extunderet artes . . . et sulcis frumenti quaereret herbam“: ibi Ceres docet, hic homines ipsi frumentum quaerunt. Atque apertum est, narrationem, quae versibus 121—146 contineatur, esse digressionem. Quam poetam ordini libri inseruisse facillime intellegimus, si eam totam ex aliquo carmine esse haustam statuimus.

Certum fontem invenire non possumus. Verisimile autem mihi est Vergilium in georgicis componendis interdum se ad poetas hellenisticos applicavisse. Vidimus Aratum sententiam quandam similem praebere. Sed etiam ab aliis poetis hellenisticis sententias Vergilianis cognatas prolatas esse opinor[1]). Supra autem Eratosthenis fragmenta attuli, e quibus descriptionem cultus

[1]) vita simplex atque beata hominum priscorum in carminibus hellenisticis saepe est laudata; cf. Pohlenz, Charites für Leo p. 83.

orientis ab Eratosthene Hermae insertam esse fortasse concludi potest [1]). Sed accuratius quicquam non iam cognoscimus.

Ceterum unam rem attingam. Macrobius (VI 229) quandam similitudinem esse inter Verg. Georg. I 118 sqq. et Lucret. V 213sqq. exponit. Quae similitudo negari non potest neque vero est magna. Ratio autem Jahnii (Mus. Rhen. 58 p. 391 sq.), qui versus Vergili a me tractatos ad Lucretium et alios poetas refert, prorsus est refellenda. Jahn enim sententias huius loci Vergilio e versibus Lucreti V 206, II 1156, V 1450 et aliis fontibus fluxisse putat. Quo modo verus poeta carmen non condit. Illam autem de Jove beneficii auctore et commutatione vitae humanae sententiam apud Lucretium non legimus [2]).

Sed nunc ad alium poetam transeamus, ad **Manilium** auctorem carminis astronomici. Qui proemio libri primi primum, quid sibi proposuerit, ostendit: scientiam astronomiae versibus Latinis explicare vult; tum de origine cognitionis astrorum loquitur: Mercurius primus homines de astris docuit (v. 30), ii autem viri, qui primi astrorum cognitionem nacti sunt, regales animi atque sacerdotes fuerunt (v. 41 sqq.). „Per varios usus artem experientia fecit" (v. 61). Ante illos reges et sacerdotes (v. 66) vita erat rudis atque, cum homines neque anni neque diei tempora cognovissent, ratione carebat.

v. 73: necdum etiam doctas sollertia fecerat artes
terraque sub rudibus cessabat vasta colonis.

Illo igitur tempore artes nondum erant inventae. Quibus verbis initium capit narratio, qua poeta, quomodo artes paulatim ortae et homines gradatim sint provecti, demonstrat. Rudis erat vita hominibus antiquissimis:

v. 79sqq.: sed cum longa dies acuit mortalia corda
et labor ingenium miseris dedit et sua quemque
advigilare sibi iussit fortuna premendo

[1]) cum Vergili verbis „curis acuens mortalia corda" (v. 123) conferri potest versus ὀρθοῦ· καὶ γὰρ μᾶλλον ἐπωδίνουσι μέριμναι. Ceterum nobis est traditum doctrinam zonarum a Vergilio in libro primo (v. 233 sqq.) prolatam ad Eratosthenis Hermam esse referendam; cf. Regel, De Vergilio poetarum imitatore testimonia, Diss. Gott. 1907, p. 30.

[2]) sane non negem Vergilium in carmine perficiendo interdum singulis verbis et locutionibus Lucreti usum esse; cf. Ribbeck, Gesch. der röm. Dichtung II[2] p. 39.

seducta in varias certarunt pectora curas
et quodcumque sagax temptando repperit usus,
in commune bonum commentum laeta dederunt.

Deinde originem linguae, agri culturae, navigationis, commercii, artium belli pacisque poeta exponit:

(v. 90) semper enim ex aliis alias proseminat usus.

Etiam artes magicas esse inventas poeta praedicat;

(v. 95) omnia conando docilis sollertia vicit.

Ad postremum autem homines de rebus sublimibus atque de caelo quaesisse exponitur.

De hoc prooemio et de eius fontibus multum est disputatum[1]). Nonnulli viri docti prooemium totum libri primi Manilio e Posidonii libris fluxisse opinantur[2]). Sed quamquam Manilium saepissime in carmine suo sententias Posidonianas proferre negari non potest, poetam etiam in prooemiis sententias Posidonii praebere necesse non est.

Sed narrationem ipsam perscrutemur. Cum legimus versus 79 sqq., prorsus nobis cogitationes Democriti vel Epicuri, quas supra tractavi, in animum revocantur. Poeta dicit: „sed cum longa dies acuit mortalia corda — et labor ingenium miseris dedit": cogites hic de χρόνῳ Moschionis vel de illo Diogenis Oenoandensis fragmento: πάσας γὰρ τὰς τέχνας ἐγέννησαν αἱ χρεῖαι καὶ αἱ περὶπτώ-

[1]) unam rem facile cognoscimus: auctor carminis in hoc prooemio componendo permulta verba et locutiones e Vergili descriptione initiorum generis humani prompsit et in usum suum convertit (quorum nonnulla praebet Cramer, de Manili qui dicitur elocutione, Diss. Argent. Vol. VII). Conferas:

Verg. v. 123	curis acuens mortalia corda
et Man. v. 79	sed cum longa dies acuit mortalia corda;
Verg. v. 133	ut varias usus meditando extunderet artes
et Man. v. 83	et quodcumque sagax temptando repperit usus;
praeterea Verg. v. 145	labor omnia vicit
et Man. v. 95	omnia conando docilis sollertia vicit.

Etiam aliis poetis Manilius in hac parte usus est; cf. Lucr. V v. 1452 et Man. v. 61, Tib. I 3, 39/40 et Man. v. 87—88. — Saepe Manilius Vergili locutionibus utitur neque vero totam illam cultus orientis descriptionem e carmine Vergili haurire potuit.

[2]) ut Boll, Jahrb. f. klass. Phil., Suppl. XXI p. 218 sqq.; Gerhaeusser, Der Protreptikos des Poseidonios, Diss. Heidelb. 1912. Manilium saepe sententias Posidonianas praebere demonstrat Edw. Mueller, De Posidonio Manili auctore, pec. I, Diss. Lips. 1904, et in Philologo 62, p. 67 sq.

σεις μετὰ τοῦ χρόνου. Paulatim tempus ingenia humana acuit, ut homines artes invenire possent! Conferas quoque verba Vitruvi: „cum . . . sollertia ingenia exercendo per consuetudinem ad artes pervenirent". Manilius pergit: „et sua quemque — advigilare sibi iussit fortuna premendo"; fortuna igitur homines premit et sibi advigilare iubet: hic egestatem atque necessitatem invenimus! Atque cum in versu 82 legimus „seducta in varias certarunt pectora curas", facile nobis in memoriam revocantur haec Vitruvi verba (II 1, 5) „cum essent autem homines imitabili docilique natura, cotidie inventionibus gloriantes alius alii ostendebant aedificiorum effectus, et ita exercentes ingenia certationibus . . . In versu autem 83 („et quodcumque sagax temptando repperit usus") conatum, πεῖραν invenimus. Animum autem attendas ad eam rem, quod usus hic nominatur „sagax". Seneca enim in epistula 90, 10 dicens „omnia enim ista (agitur de artibus) sagacitas hominum, non sapientia invenit" Posidonii de sapientibus cogitationem impugnat. Denique versum 84 („quodcumque repperit usus, in commune bonum commentum laeta dederunt") cum his Vitruvi verbis conferas: „homines (igne cognito) alios adducebant . .". Si solam igitur narrationem, quae versibus 73—90 continetur, perspicimus, quin ad Epicuri vel Democriti sententias bene conveniat, dubitare non possumus. E vita misera homines paulatim ad cultum meliorem ascendunt necessitate, usu, experientia viam demonstrantibus.

Sed narratio versu 90 non est finita; agitur autem versibus 91 sqq. de artibus magicis, quae ab Epicuri doctrina valde abhorrent. Atque versibus 96 sqq., ubi poeta de rebus caelestibus disserit, alia sententia invenitur atque in parte priore: ratio enim hominis, quae caelum ascendat et profundam naturam rerum atque causas capiat, praedicatur. Quae sententia sane non Epicuri, sed Posidonii doctrinam redolet [1]). Quomodo autem hoc est explicandum?

Quam ad rem diiudicandam nobis est utile versus, quos ante v. 73 sqq. legimus, examinare. Manilius primos de astris animos regales et sacerdotes quaesivisse exponit (v. 40 sqq.). Quos ani-

[1]) cum hac Manili parte illud prooemium bene comparari potest, quod Seneca libro primo Quaestionum Naturalium praeposuit Posidonii sententias secutus (cf. maxime §§ 6 sq.).

mos regales philosophos Posidonii esse, qui homines priscos regant, Boll putat. Cui opinioni non assentiar, cum in Aegypto initia astronomiae regibus attributa fuisse certum videatur. Sed utcumque haec res, quae minoris est momenti, se habet, nimis audacter concludit Boll (p. 222): „erst die königlichen Geister der Philosophen erfinden die Gewerbe, lehren Ackerbau". Hoc ex Manili verbis concludi non potest. Manilium enim hoc loco sententias non accurate annexuisse apertum mihi videtur. Totum locum exscribo:

v. 61 sqq. per varios usus artem experientia fecit.
exemplo monstrante viam speculataque longe
deprendit tacitis dominantia legibus astra
et totum aeterna mundum ratione moveri
fatorumque vices certis discernere signis.
v. 66 nam rudis ante illos nullo discrimine vita
in speciem conversa operum ratione carebat . .

(versibus insequentibus homines nondum diei vel anni tempora cognosse exponitur)

v. 71 . . nec similes umbras iam sole regresso
iam propiore suis poterant discernere causis.

Quaeri potest in versu 66, qui sint „illi": mea quidem sententia voce „illos" reges sacerdotesque significantur atque cogitatio haec mihi esse videtur: non prius quam reges sacerdotesque astrorum cognitionem sibi comparavissent, homines tempora diei vel anni noverant. Sed continuatio sententiarum valde est laxa. Tum autem pergit Manilius valde abrupte:

(v. 73) necdum etiam doctas sollertia fecerat artes.

Deinde vita rudis versibus 74—78 describitur atque tum legimus:

sed cum longa dies acuit mortalia corda
et labor ingenium miseris dedit . . .

Tota autem descriptio, quae versibus 73—90 continetur, ad continuationem sententiarum non solum necessaria prorsus non est, sed etiam seriem cogitationum valde turbat, cum et antea et postea de astronomia agatur. Sed aliae res accedunt. Ubi de philosophis artium inventoribus in hac cultus orientis descriptione aliquid legimus? Tempus longum hominum corda acuit, labor eis ingenium dedit! Nusquam philosophi vel viri singuli maxime

ingenio praediti commemorantur. Manilius, si hic ad Posidonii exemplum se applicavit, cur non de philosophis, cum in versibus prioribus de sacerdotibus regibusque sit locutus, aliquid dicit? Neque philosophos neque rationem in hac descriptione invenimus[1]).

Narratio, quam a versu 73 usque ad versum 90 legimus, descriptionem quandam plenam atque rotundam praebet. Incipit poeta a vita rudi, e qua homines paulatim sint progressi. Bene autem haec descriptio cum Moschionis fragmento sexto comparari potest. Primum vita est misera:

Mosch. ἦν γάρ ποτ' αἰὼν κεῖνος, ἦν ποθ' ἡνίκα
θηρσὶν διαίτας εἶχον ἐμφερεῖς βροτοί
. . . οὐδέπω γὰρ ἦν
οὔτε στεγήρης οἶκος . .

Man. necdum etiam doctas sollertia fecerat artes
terraque sub rudibus cessabat vasta colonis.

Tempus autem homines provehit:

Mosch. ἐπεὶ δ' ὁ τίκτων πάντα καὶ τρέφων χρόνος
Man. sed cum longa dies acuit mortalia corda.

Quam sententiam apud Moschionem et Manilium descriptio artium initiorum insequitur.

Narrationem autem poeta his verbis concludere videtur (v. 90): „semper enim ex aliis alias proseminat usus.“ Tum autem artes magicae (ad quas poeta verbis „ne vulgata canam“ transit) tractantur; quem locum Manilius fonti addidisse mihi videtur[2]). Artibus enim magicis tractatis rursus sententia quaedam universi generis profertur: „omnia conando docilis sollertia vicit“. Quibus verbis Manilius Vergilium imitatur, qui narrationem in Georgicis illam concludit verbis: „labor omnia vicit improbus et duris urgens in rebus egestas“.

---

[1]) fortasse mihi aliquis obiciet nos in versu 73 vocem „sollertia“ legere, in versu 95 „docilis sollertia“, sollertiam autem cum sapientia posse comparari. Sed vox „sollertia“ ad stoicam doctrinam non spectat; sollertia est „Geschicklichkeit. Erfindungsgabe“. Velut Lucretius (v. 1356) genus omne virile „sollertius“ quam muliebre esse praedicat.

[2]) artes magicae summa auctoritate tempore Manili fuerunt; cf. Tib. I 2, v. 42 sqq. Etiam his in verbis Manilius aliorum poetarum versus ad usum suum convertisse videtur. Conferas Man. v. 92 . . . „et rumpere vocibus angues“ cum Verg. ecl. VIII 71 . . . „cantando rumpitur anguis“; Man. v. 93 . . . „imumque Acheronta movere“ cum Verg. Aen. VII 312 . . „Acheronta movere“.

Pro certo habeo auctorem carminis hanc praefationem ex compluribus fontibus collegisse. Atque verba versus 91 „ne vulgata canam" demonstrant antea sententias esse prolatas, quales undique hauriri possent. Insequuntur autem consideratio naturae et astrorum cognitio. Qua in parte Manilius rationem premit neque quicquam de sollertia, usu, labore profert. Quam disputationem ad Posidonium spectare persuasum mihi est. Atque Manilium disputationi alicui Posidonianae narrationem cultus orientis inseruisse opinor. Mos enim erat scriptoribus, ut in prooemiis nonnullas universi generis sententias proferrent [1]).

Notandum autem est in scholis rhetorum antiquissimum generis humani statum, auream vitam, progressum cultus humani tractata esse verisimile videri [2]). Atque scholas rhetorum ad Manilium aliquid valuisse certum mihi est [3]).

Relinquitur, ut unam rem ad Manili prooemium pertinentem tractem. Gerhaeusser in dissertatione sua singulos gradus cultus progredientis confert, quos Manilius in prooemio libri primi, Seneca in epistula 90, Cicero in Tusc. I 62, V 5, 6 exhibent. Sed illae singulae res (ut agri cultura, navigatio alia) nobis descriptiones cultus humani initiorum legentibus semper occurrunt (iam apud Aeschylum in Prometheo v. 447 sqq., in Moschionis fragmento sexto, tum apud Lucretium v. 1448 sqq. eas invenimus). Sed cum apud Senecam et Ciceronem philosophos artium inventores fuisse exponatur aut de philosophia, sapientia, ratione agatur, in illa Manili descriptione neque philosophi neque philosophia vel sapientia commemorantur. Atque Manili narratio Democriteas sententias praebet, quae illis temporibus plane sollemnes fuerunt et undique hauriri potuerunt.

Vitruvius et Manilius hanc cultus initiorum descriptionem ad prooemia librorum suorum didacticorum adhibuerunt; Vergilius eam suo de agri cultura carmini inseruit. Quam rem facile in-

---

[1]) confer Engel, De antiquorum epicorum didacticorum historicorum prooemiis. Diss. Marp. 1910. Ceterum iam versus 61 (per varios usus artem experientiam fecit) paulum ad sententias Epicureas vel Democriteas spectat. Fortasse iam hoc loco ad Manilium descriptio illa cultus initiorum sollemnis aliquid valuit.

[2]) confer ea, quae infra in pag. 75 sq. disputabo. Seneca in Phaedra descriptionem vitae aureae atque insequentis depravationis profert, quam poetam, ut exemplar rhetoricae descriptionis praeberet, tragoediae inseruisse apertum est.

[3]) qua de re agit Edw. Mueller in Philologo 62, p. 82 sqq.

tellegimus. Nam recte de libris didacticis iudicat Engel (p. 15): „Volumina didactica exiguam rerum copiam continere solebant, ne animi legentium fatigarentur aut deterrerentur. Quamobrem certum spatium concedebatur ipsis prooemiis, quibus lectores quasi per vestibula splendida ad argumentum exile plerumque et aridum perducerentur. Itaque etiam hoc explicatum habet, quod scriptores, imprimis poetae, his prooemiis sententias non necessarias, sed quae ornamento essent, inserebant". Ac si ea, quae de Vitruvio, Vergilio, Manilio disputavi, perpenderimus, eo facilius Eratosthenem in Herma similem cultus initiorum descriptionem ordini sententiarum inseruisse statuemus.

Sed satis diu in his cultus orientis descriptionibus versati sumus. Restat, ut de libris quibusdam temporis posterioris, in quibus inopia aliis de causis laudetur, nonnulla disseram.

Atque primum ad **philosophos, qui disciplinas bene vivendi praebuerunt,** nos convertamus. Qui, si illas cultus initiorum descriptiones excipimus, pauca ad quaestionem nostram afferunt.

Nam, ut iam supra exposui (p. 7), philosophi, qui de recte vivendo disputant, veras paupertatis omnium bonorum magistrae laudes non praedicant. Philosophia enim, quae de bene vivendo homines singulos doceat, quae hominibus singulis vitam beatam atque securam comparare velit, non eam laudem paupertatis praebere potest, quam Aristophanes in agone Pluti protulit. Laudant vitam, quae sit modica et ea de causa secura; pericula, quae hominibus divitiae et cupiditas divitiarum efficiant, demonstrant; quam salutaris sit paupertas et corporibus et mentibus hominum singulorum, describunt; in universum igitur, qua via homo optime vitam pauperem sustineat, doceant. Cuiusmodi sententiae non solum apud bene vivendi magistros inveniuntur (ut apud Teletem cynicum, apud Epictetum, Musonium, Senecam stoicos)[1], sed etiam aliis in litterarum generibus, ut in comoedia

---

[1]) ea in re cynicus a stoico distat, quod vitam mendici laudat, cum stoicus, ut paucis rebus sint contenti, homines admoneat.; cf. Senecae verba, epist. 87, 40: non video, quid aliud sit paupertas quam parvi possessio.

nova, in poesi hellenistica[1]). Quae omnes cogitationes ab illis Penias laudibus Aristophaneis valde distant. Nonnullae autem sententiae nobis occurrunt, quae laudibus illis appropinquare videntur. Cuius rei exempla duo hic enotem.

Apud Stobaeum (ecl. Δ XXXII 17, p. 784 H) haec verba legimus: Ἀρκεσίλαος τὴν πενίαν λυπρὰν μὲν ἔλεγεν εἶναι ὥσπερ καὶ τὴν Ἰθάκην, ἀγαθὴν δὲ κουροτρόφον ἐθίζουσαν συνεῖναι λιτότητι καὶ καρτερίᾳ καὶ καθόλου γυμνάσιον ἀρετῆς ἔμπρακτον[2]), et alio Stobaei loco (Δ XXXII 11, p. 782 H): Διογένης τὴν πενίαν αὐτοδίδακτον, ἔφη, εἶναι ἐπικούρημα πρὸς φιλοσοφίαν· ἃ γὰρ ἐκείνην πείθειν τοῖς λόγοις πειρᾶσθαι, ταῦτ' ἐν ἔργοις τὴν πενίαν ἀναγκάζειν[3]). Quibus locis veras paupertatis laudes habemus. Penia, ut homines simplices et validi fiant, efficit; habemus quoque hic Peniam ad res bonas homines cogentem. Sed a Penias laudatione Aristophanea etiam hae sententiae, cum non de societate hominum, sed de singulis hominibus agatur, satis distant. Atque perraro in tot paupertatis tractationibus illam cogitationem Aristophaneam invenimus. Accurate autem sententia quaeque est excutienda[4]).

Aliter autem se habet fragmentum quoddam lepidum Anaximenis, quod Stobaeus, cui multa ad quaestionem nostram pertinentia debemus, praebet (ecl. Δ XXXIII, p. 806 H): ἡ γὰρ πενία καὶ πρὸς τὰς τέχνας δεινοτέρους καὶ πρὸς τὸν βίον τεχνικωτέρους

---

[1]) qua de re conferas M. Pohlenz, Charites, p. 83 sqq. Sententias eiusmodi semper e philosophorum libris esse haustas necesse non est. Conferas quoque, quae de elegiis Romanis infra afferam (p. 75[2]).

[2]) quo de fragmento cf. Goedeckemeyer, Geschichte des griechischen Skeptizismus, 1905 p. 40.

[3]) Stob. Δ XXXII 19, p. 784 H legimus: Διογένης τὴν πενίαν ἔλεγεν αὐτοδίδακτον εἶναι ἀρετήν. In Gnomol. Vat. 414 (Sternh.) eadem sententia Xenophonti tribuitur: ὁ αὐτὸς (sc. Xen.) τὴν πενίαν ἔλεγεν αὐτοδίδακτον φιλοσοφίαν εἶναι. ἃ γὰρ ἐκείνη τοῖς λόγοις πείθει, αὕτη τοῖς ἔργοις ἀναγκάζει. De auctore igitur huius sententiae valde dubitari potest.

[4]) non pauci viri docti, ut exemplum afferam, sententiam agonis Aristophanei cum loco quodam Timonis Lucianei contulerunt (c. 33): Πενία διδάσκαλος τῶν ἀρίστων. Sed si accuratius illum locum perspexeris, sententias hic praedicari, quae plane cum praeceptis philosophorum ad hominum singulorum beatitudinem pertinentibus congruant, atque in capite 33 Timonis de bona mentis et corporis valetudine agi facile intelleges. Sed de hoc Luciani dialogo, cum quaestiones complures graves neque iam prorsus persolutas praebeat, in fine opusculi mei paulo uberius disputabo.

τοὺς ἀνθρώπους καθίστησι. „Paupertas homines ad artificia exercenda aptiores facit“: hic denuo paupertatem cum artificiis coniunctam invenimus atque iure hanc sententiam cum agonis Aristophanei cogitatione conferre possumus. Ipsae autem artes utiliores homines ad vitam degendam reddunt: cogitare hic nobis licet de egestate homines docente (cf. Eur. fr. 715: χρεία διδάσκει κἂν βραδύς τις ᾖ, σοφόν). Forma autem sententiae (ἡ γὰρ πενία . .) demonstrat haec verba cogitationem generalem e certo conexu disputationis evulsam continere. Quaeri sane potest, quo in libro Anaximenis sententia sit prolata. Quam Anaximeni Lampsaceno attribuendam esse certum videtur. Atque Usener quidem (Quaestiones Anaximeneae, p. 20) fragmenta Anaximenis ethica, quorum nonnulla Stobaeus nobis conservavit, in libris historicis et imprimis in orationibus his libris insertis prolata esse putat. Quod mihi valde arridet. Nam eos e more Isocrateo sententiis universi generis ornatas fuisse credere nobis licet. Non autem mihi placet opinio Blassii (Attische Beredsamkeit, t. II^{2}, p. 381), qui fragmenta illa ad opus quoddam philosophicum deleget[1]). Sed ea res non magni momenti est ad quaestionem nostram; gravius autem est hoc: Anaximenis tempore illa de paupertate artium magistra cogitatio fuit sollemnis. Quam rem etiam comoediae quaedam fragmenta mediae et novae bene demonstrant. Ad quae nunc nos convertamus.

Comoediae mediae et novae, quod ad sententias de paupertate prolatas attinet, in sententiis Euripidis permanent. Sed pro ratione illorum temporum et comoediae novae habitu maxime vita modica atque expedita laudatur, ut ita dicam, vita **ἰδίωτου ἀπράγμονος**. Multas sententias Euripideas denuo reperimus: „divitiae sunt coniunctae cum ignavia“, cf. fr. adesp. 390 (Kock III p. 482); „Plutus est caecus“, cf. fr. 83 Menandri (Kock III):

---

[1]) apud Stobaeum praeterea duae aliae Anaximenis de paupertate sententiae leguntur: (ecl. Δ XXXIII 21) οὐ γὰρ οὕτως οἱ πλουτοῦντες ὡς οἱ πένητες τοὺς ἀτυχοῦντας οἰκτίρειν εἰώθασι· δεδιότες γὰρ περὶ αὑτῶν τὰς τῶν ἄλλων συμφορὰς ἐλεοῦσιν et (22a) χαλεπὴ γὰρ διδάσκαλος ἡ πενία τοῦ μικρὸν φρονεῖν. Quae sententiae non sunt coniungendae cum illa a me tractata. Animum autem attendas ad eam rem, quod etiam hic particulam γὰρ legimus: facile sententias ut sollemnes praedicatas fuisse opinamur!

. . . τυφλὸς ὁ πλοῦτος καὶ τυφλοὺς
τοὺς ἐμβλέποντας εἰς ἑαυτὸν δεικνύει.

Pericula et curae cum divitiis coniuncta describuntur (cf. fr. 92, 96 Philemonis, Kock II, vel fr. 281 Menandri) vel vita simplex atque beata laudatur. „Divitiae facile homines corrumpunt (cf. Men. fr. 666) et ad malas res adducunt (cf. Menandri monosticha 300 et 702)[1]. „Non semper divitiae et mens bona in eodem homine inveniuntur" (cf. fr. 6‹?›5 Menandri). Vis pecuniae, quae multa divitum vitia occultare possit, describitur, cf. fr. 90 Menandri:

πλοῦτος δὲ πολλῶν ἐπικάλυμμ' ἐστὶν κακῶν

Sed nonnullae sententiae magis cogitationi agonis Aristophanei appropinquant. Antiphanes in fragmentis 293, 294 dicit:

ἅπανθ' ὁ λιμὸς γλυκέα πλὴν αὑτοῦ ποιεῖ.
πενία γάρ ἐστιν ἡ τρόπων διδάσκαλος.

Antiphanes igitur paupertatem multum ad hominum mores valere praedicat. Sed hoc loco nondum veram Penias laudem Aristophaneam habere videmur. Ceterum, utrum illi duo versus coniungendi essent necne, est dubitatum. Ego versus, cum alter prioris explicationem praebere videatur, coniungam, sed fortasse aliquid dubii restat. Animum autem attendas ad versus secundi formam: πενία γάρ ἐστιν . ., sententia inter omnes nota hic praedicatur! Fortasse etiam adhibere licet Men. Mon. 309:

λιμὴν ἀτυχίας ἐστὶν ἀνθρώποις τέχνη.

Puto enim hoc modo verba interpretanda esse: homo qui in res adversas incidit, laborando et artificio aliquo exercendo miseriam effugere potest. Quam ad rem confirmandam illud fragmentum Antiphanis (fr. 123), quod in pag. 21 iam commemoravi, denuo proferre mihi liceat:

ἡμεῖς δ' ἔχοντες ἀρραβῶνα τὴν τέχνην
τοῦ ζῆν ἀεὶ πεινῶμεν ἐπὶ ταῖς ἐλπίσιν.

Artificia, ut homines miseri vitam perducant, efficiunt. Praeterea hic afferam fragmentum 263 Menandri:

χρεία διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ, σοφὸν
Καρχηδόνιον.

---

[1]) monosticha, quae dicuntur Menandri, sed multas sententias non ad Menandrum pertinentes praebent, non paucas cogitationes de divitiis et paupertate continent. cf. Meineke, Fragm. Com. Gr. IV p. 300 sqq.

Quo loco egestatem, quae homines sapientes efficiat, invenimus. Apertum autem est Menandrum hic Euripidis verba (χρεία διδάσκει, κἂν βραδύς τις ᾖ, σοφόν, fr. 715) commutavisse. Atque in hac commutatione poeta comicus alterum Euripidis locum est secutus: ποιητὴν δ' ἄρα Ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ, τὸ πρίν (fr. 668). Suidas autem Menandri verba sub voce χρεία affert: verba igitur proverbii locum obtinuerunt.

De vi inopiae etiam in Timoclis fragmento 28 (Kock II p. 463) agitur:

πολλοὺς γὰρ ἐνίοθ' ἡ πενία βιάζεται
ἀνάξι' αὑτῶν ἔργα παρὰ φύσιν ποιεῖν,

sed hic paupertas, quod homines ad malas res cogat, vituperatur. Iam Euripides dixerat (Electra v. 377): πενία διδάσκει δ' ἄνδρα τῇ χρείᾳ κακόν (conferas Antiphontis quoque de egestate verba supra, in pag. 27, a me allata). Hesiodi autem praecepta nobis in memoriam revocantur, cum Men. Mon. 460 legimus:

πένητας ἀργοὺς οὐ τρέφει ῥᾳθυμία,

quae sententia etiam fragmento Menandri 633 praedicatur:

δεῖ τοὺς πενομένους μέχρι ἂν ζῶσιν πονεῖν·
ἀπραξία γὰρ λιτὸν οὐ τρέφει βίον.

Longum est omnia fragmenta aliquo modo huc pertinentia afferre. Sed etiam veram agonis Aristophanei sententiam in comoediis prolatam esse optime nobis locus lepidus, qui in Plauti Sticho legitur, demonstrat. Quem locum paulo uberius tractem.

Gelasimus parasitus in versibus 174 sqq. de nomine suo loquitur:

Gelasimo nomen mi indidit parvo pater,
quia iam a pausillo puero ridiculus fui.
propter pauperiem hoc adeo nomen repperei,
eo quia paupertas fecit ridiculus forem:
nam illa artis omnes perdocet, ubi quem attigit.

„Paupertas omnes artes homines docet; paupertas quoque, ut Gelasimus ridiculus fieret, i. e. parasitus, effecit". Quomodo illa de paupertate artium magistra sententia lepidissime hic est conformata. Hos autem versus 176—178 Goetz (Acta Societatis Lips. VI p. 266) exposuit interpolatos esse et a versu 175 discrepare, aut nomen propter paupertatem aut propter mores pueri parvi

ridiculos esse datum [1]). Concedo versus 176—178 non bene ad versus 174, 175 aptos esse. Sed hoc mihi certum est: versus 176—178 multo facetiores esse quam versus 174, 175. Versus enim 174, 175 iocum non praebent, cum illi versus iocum valde lepidum exhibeant: illa de paupertate artium magistra sententia sollemnis ad artem parasiti facete adhibetur. Quod prorsus ad comoediam Atticam spectat. Praeterea modo vidimus similes sententias saepius in comoediis mediis vel novis esse prolatas. Comoediae autem Atticae sententiam illam attribuendam esse ut statuamus, maxime, si fragmentum hoc Diodori comici legimus, adducimur (fr. 2, Kock II p. 420):

. . . . βούλομαι δεῖξαι σαφῶς
ὡς σεμνόν ἐστι τοῦτο καὶ νενομισμένον
καὶ τῶν θεῶν εὕρημα. τὰς δ' ἄλλας τέχνας
οὐδεὶς θεῶν κατέδειξεν. ἀλλ' ἄνδρες σοφοί,
τὸ γὰρ παρασιτεῖν εὗρεν ὁ Ζεὺς ὁ φίλιος.

Quo loco Iovem artem parasitorum invenisse praedicatur [2]). Facillime igitur versus 176—178 in comoedia aliqua Attica prolatas esse cogitamus.

Leo (Gesch. d. röm. Lit., Berol. 1914, I p. 128 sq.) Stichum in universum ad Menandri Ἀδελφοὺς referendam esse, parasitum autem ex alia comoedia Plautum prompsisse censet. Praeterea nonnullas res demonstrare comoediam saepius actam esse Leo iudicat. Facile igitur ille locus depravari potuit! Sed quacumque re depravatio loci effecta est, hoc certum mihi videtur: versus 176—178 ex aliqua comoedia Attica esse promptos.

Ceterum unum notandum est. In hoc Stichi loco de parasiti oratione agitur; atque etiam aliis in comoediis potissimum monologos et orationes parasitorum sententias de paupertate praebuisse verisimile mihi est. Conferri fortasse possunt hi versus Phormionis Terentiani (904, 905), ubi Phormio parasitus de suspicione senum duorum iratus haec verba dicit:

heus, quanta haec mea paupertas est, tamen
adhuc curavi unum hoc quidem, ut mi esset fides.

---

[1]) antea iam Ladewig in Philologo 17, p. 455 similiter iudicaverat, qui versus 176—178 dittographiam versus 175 esse censebat.

[2]) de sententiis similibus ad „εὑρήματα“ pertinentibus conferas Leo, Plautinische Forschungen p. 137.

Quo loco Phormionis animo observatur illa opinio omnium communis, secundum quam paupertas acerba homines ad res malas, velut ad infidelitatem cogere potest. Cogites quoque de comoedia Epicharmi, quae Ἐλπὶς ἢ Πλοῦτος inscribitur: hic parasitus partes primas egisse videtur (cf. p. 20). Sed satis de comoediis Graecis Romanisque dictum sit. Nunc vero ad mimos Romanos transeamus.

Mimi enim Romanorum non solum res comicas facetasque, sed etiam sententias morales praebuerunt. Quamobrem nos etiam in mimorum fragmentis cogitationes aliquas de paupertate inventuros sperare licet. Atque traditum est nobis mimum aliquem Laberi „Paupertas" inscriptum fuisse (cf. Ribbeck, Scaen. Rom. poes. fr.[2] II p. 290). Qua e fabula tria fragmenta sunt conservata, quorum duo ad quaestionem nostram nihil afferunt, tertium autem alicuius est momenti (fr. 1):

nihilne refert mollem e lanitia Attica
aut pecore ex hirto crassum vestitum geras?

De hac igitur re certe in Laberi fabula actum esse videtur: quantopere interesset hominis ratione praediti, utrum dives esset an pauper. Certius quicquam constituere non possumus neque iam, cuius generis sententiae in hac fabula de paupertate prolatae fuerint, cognoscere. Ceterum notandum est nusquam nisi hic, si litteras Graecorum et Romanorum perspiciamus, inscriptionem „Paupertas" nobis occurrere. Maioris autem momenti est nobis ille Laberi aemulus, Publilius Syrus. Cuius sententiarum tempore antiquo corpus quoddam est compositum, in quod multos versus spurios venisse certum videtur. Sed non paucae sententiae lepidae in hoc corpore leguntur, quarum nonnullae etiam ad quaestionem nostram pertinent. Imprimis est dignus, qui respiciatur, versus 210 (Ribbeck II p. 328):

hominem experiri multa paupertas iubet.

Aliae de paupertate sententiae valde cogitationibus librorum bene vivendi disciplinas praebentium appropinquant. Sed afferam versum 403:

necessitas ab homine, quae vult, impetrat,

ubi illa de ἀνάγκη sententia denuo nobis occurrit. Facile nobis Hesiodi sententiae in memoriam rursus revocantur, cum in versu 613 haec verba legimus:

spes inopem, res avarum, mors miserum levat

et in versu 617:

solet sequi Laus, cum viam fecit Labor.

Videmus igitur varias sententias, quas in litteris Graecis temporis multo prioris invenerimus, in mimo Romano denuo floruisse.

Sed in fragmentis comoediarum mimorumque examinandis iam ad saeculum a. Chr. n. primum pervenimus. Eodem fere tempore illud **carmen Ἁλιεῖς** est compositum, quod falso inter Theocriti poemata nobis est traditum[1]. Quod carmen est de vita misera piscatorum, qui etiam nocte curis, quominus quiescant, impediantur. Alter autem duorum piscatorum alteri somnium, quo piscem aureum venatus sit, narrat. Cui carmini hic versus est praepositus:

ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει.

Quam sententiam, quae cum cogitatione Aristophanea valde congruit, si cum argumento carminis comparamus, facile eam ad argumentum non bene convenire cognoscimus[2]. Toto enim carmine de miseria piscatorum, qui ne nocte quidem quiescant atque quos per somnia aurei pisces fallant, agitur neque vero de utilitate paupertatis, quae artes efficiat. Atque, ut iam recte Birt ostendit, oratio aliqua cum difficultate a versu primo ad alterum traducitur:

ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει·
αὐτὰ τοῦ μόχθοιο διδάσκαλος· οὐδὲ γὰρ εὕδειν
ἄνδρασι ἐργατίναισι κακαὶ παρέχοντι μέριμναι.

Paupertas hominibus, cum eos ne dormire quidem patiatur, miseriam acerbam affert. Tum illa de piscatoribus et somnio eorum narratio insequitur, quae bene ad versus 2. 3. neque vero ad versum primum apta est. Quam rem optime ita explicamus, ut statuamus poetam operam dedisse, ut sententiam quandam sollemnem carmini praeponeret, quamquam non nisi cum aliqua difficultate orationem ad versum alterum traduceret. Vidimus

---

[1]) conferas v. Wilamowitz-M., Textgeschichte der griechischen Bukoliker. Berol. 1906, p. 82 sqq.

[2]) Birt, qui in libello „Elpides" de hoc carmine agit (p. 52 sq.), iam de illo versu nonnulla dixit.

enim illam sententiam quasi locum proverbii obtinuisse esse certum. Quam rem versus Stichi a me tractati, fragmentum illud Anaximeneum, Antiphanis fragmenta 293, 294 perspicue demonstrant. Eo autem facilius poeta carminis Ἁλιεῖς sententiam hanc praeponere potuit, quia in cogitationibus huiusmodi saepenumero etiam de curis aliquid dicitur, quae etiam in carmine magnas partes agunt. Cuius rei exempla duo afferam. Penia apud Aristophanem in v. 533, 534 haec verba dicit:

ἐγὼ γάρ
τὸν χειροτέχνην ὥσπερ δέσποιν' ἐπαναγκάζουσα κάθημαι
διὰ τὴν χρείαν καὶ τὴν πενίαν ζητεῖν ὁπόθεν βίον ἕξει.

Similis quoque sententia in Herma Eratosthenis praedicata esse videtur; conferas quae supra, in pag. 49 sq., de illo loco disputavi. Apud Vergilium autem curas hominum priscorum invenimus („curis acuens mortalia corda"). Sed cum his locis curae, quod artes similiaque efficiant, laudentur, in carmine Ἁλιεῖς miseria pauperum, qui ne dormire quidem propter curas possint, describitur[1]). Sed hactenus de carmine Ἁλιεῖς. Videmus etiam in poesi hellenistica laudes paupertatis alicuius fuisse momenti[2]).

---

[1]) concedo paulum versum primum versibus ultimis esse coniunctum cum narratione; alter enim piscator alterum adhortatur, ut laboret et miseriam effugiat (v. 66. 67 . . . ζάτει τὸν σάρκινον ἰχθῦν, μὴ σὺ θάνῃς λιμῷ καί σοῖς χρυσοῖσιν ὀνείροις). Sed haec curarum pauperis laus non nisi leviter tangitur.

[2]) ceterum unum est notandum: nonnullae mirae similitudines inter carmen Ἁλιεῖς et Plutum Aristophanis exstant. Conferas Ἁλιεῖς v. 66, 67

. . ἐλπὶς τῶν ὕπνων· ζάτει τὸν σάρκινον ἰχθῦν
μὴ σὺ θάνῃς λιμῷ καὶ σοῖς χρυσοῖσιν ὀνείροις

et Plut. v. 539 (Chremylus de miseria pauperum loquitur):

ἐπεγείρουσαι (sc. ψύλλαι) καὶ φράζουσαι „πεινήσει, ἀλλ' ἐπανίστω".

Secundum Chremyli orationem bestiolae pauperem e somno suscitant, in Piscatoribus (v. 4, 5) curae:

. . . τὸν ὕπνον
αἰφνίδιον θορυβεῦσι ἐπίπταμεναι μελεδῶναι.

Praeterea in universum descriptiones cubilis pauperum sunt similes (cf. Plut. v. 540 sqq. et Pisc. v. 6 sqq.). Fortasse ille Pluti agon aliquid ad fabulas comoediae mediae et novae valuit atque ita similitudines sunt effectae Sed his in rebus percaute nobis est dicendum. Nimis audacter Birt (Elpides, p. 56 sq. exponere mihi videtur inter illud piscatorum somnium et Plauti, i. e Diphili Rudentem rationem artiorem intercedere. Paucae enim comoediae nobis e permagno numero sunt conservatae! Prorsus autem incerta mihi est opinio Birtii

Relinquitur, ut de nonnullis locis disseram, qui apud scriptores quosdam Romanos inveniuntur atque etiam tempore imperatorum Romanorum illas de vi paupertatis sententias floruisse demonstrant. Quales cogitationes autem **Persius** in praefatione libri sui praebet. Dubitatum est, utrum choliambi, quos codices P et L ante, codices A et B post satiras Persi habent, Persio ipsi tribuendi essent necne. Sed verisimile videtur eos a Persio ipso esse conscriptos[1]. Duae partes in carmine non valde dilucido discernendae sunt: priore poeta se e numero poetarum insignium excludit atque se semipaganum ad sacra vatum carmina ferre, i. e. semipoetam esse praedicat, posteriore de eis hominibus loquitur, quos paupertas, ut carmina componant, adducat (quae pars cum priore prorsus non est connexa). Versus autem huius partis, cum ad quaestionem nostram paulum valeant, hic exscribam:

quis expedivit psittaco suum chaere,
quis elicuit e psittaco humanum vocem?
magister artis ingenique largitor
venter, negatas artifex sequi voces.
quodsi dolosi spes refulserit nummi,
corvos poetas et poetridas picas
cantare credas Pegasium nectar.

Poeta igitur ventrem, i. e. famem psittacum voces humanas reddere docere neque aliter viros feminasque, quamvis non ad carmina condenda sint nati, ut carmina conscribant, incitare praedicat. Qua cum sententia Leo iure illud **Horatianum** comparavit (epist. II 2, 51) . . „paupertas impulit, audax ut versus facerem". Quibus verbis poeta paupertatem se ita audacem, ut versus faceret, effecisse dicere mihi videtur[2]. Habemus igitur etiam apud Horatium illam de vi paupertatis sententiam. Atque

---

(p. 67), qui e similitudinibus Pluti et Piscatorum Epicharmi comoediam „Ἐλπὶς ἢ Πλοῦτος" aliquid valuisse ad carmina de spe alexandrina concludat (cf. supra pag. 19 sq.).

[1] qua de re conferas ea, quae Leo Hermae 45 (p. 48) de his choliambis exposuit. Leo editores satirarum eos in scriptis Persi invenisse et satiris praeposuisse censet.

[2] conferas ea, quae in editione a Kiesslingio atque Heinzio curata ad hunc versum, cuius de sensu permultum est disputatum, adnotata sunt.

eandem apud Persium legimus. Ubi cogitatio subrustice est conformata: venter magister artis ingenique largitor. Sed iam apud Homerum (ρ 285) legimus:

γαστέρα δ' οὔ πως ἔστιν ἀποκρύψαι μεμαυῖαν
οὐλομένην, ἣ πολλὰ κάκ' ἀνθρώποισι δίδωσι.

atque apud Euripidem haec verba invenimus (fr. 915):

νικᾷ δὲ χρεία μ' ἡ κακῶς τ' ὀλουμένη
γαστήρ, ἀφ' ἧς δὴ πάντα γίγνεται κακά.

Optime autem Nemethy (in commentario Satirarum Persi, Budap. 1903, p. 53) cum Persi versu distichum quoddam confert, quod in Anthologia Palat. IX 438 invenimus[1]). Quo loco de formicis, quae ut aquam transeant palea utuntur, agitur:

ἦ ῥα φίλη γαστὴρ καὶ βαιοτάτους ἀνέπεισεν
ἐκ χθονὸς εἰς Νύμφας καινοτάτους ἐρέτας.

Lepidissime hic illa de egestate sententia ad formicas navicula egentes adhibita est.

Cum Persi autem verbis bene comparari potest locus quidam, quem in **Senecae** epistula XV, 9 legimus. Ubi de exercitationibus corporis agens Seneca haec profert: (si vis, quomodo debeas ambulare, discere) „admitte istos, quos nova artificia docuit fames". Quo loco famem pro paupertate substitutam invenimus; fames non solum, ut artificia nota exerceantur, efficit, sed etiam homines nova artificia invenire cogit. Fames etiam in lepida **Phaedri** fabula laudatur (Phaedri fab., app. 20, Mueller):

si quando in silvis urso desunt copiae,
scopulosum ad litus currit et prendens petram
pilosa crura sensim demittit vado;
quorum inter villos cancri simul adhaeserunt,
in terram abripiens excutit praedam maris
escaque fruitur passim collecta vafer.
ergo etiam stultis acuit ingenium fames.

Praeterea notem **epigramma** quoddam **Martialis** non valde urbanum, quod non vim egestatis salutarem, sed certe egestatis artes efficientis vim demonstrat (XI 87):

---

[1]) hoc epigramma Philippo Thessalonicensi tribuitur.

dives eras quondam: sed tunc paedico fuisti,
et tibi nulla diu femina nota fuit.
nunc sectaris anus. o *quantum cogit egestas.*
illa fututorem te, Charideme, facit.

Videmus igitur illam de paupertate rerum novarum magistra cogitationem plane sollemnem fuisse, sed ab his scriptoribus diverse esse conformatam. Quam ad sententiam pervulgandam mores, qui Romae illis temporibus fuerint, aliquid valuisse non negem.

— —

Postremo autem nonnulla mihi sunt dicenda de illo paupertatis encomio, quod **Apuleius** Apologiae inseruit (c. 18 sqq.) atque quod supra, in pag. 14 sq. ad meam de Pluto Aristophanis disceptatiunculam adhibui.

Atque iam dixi laudes paupertatis ab Apuleio prolatas in verum encomium et in sententias de paupertate morales esse discernendas. Priore autem parte laudationis utilitates, quas et singulis hominibus et civitati paupertas praebeat atque praebuerit, describuntur. Non solum enim ab Apuleio ostenditur pauperes homines esse bonos, divites autem pravos, non solum auctor numquam paupertatem quemquam corrupisse praedicat, sed etiam has sententias profert: „*Paupertas prisca apud saecula omnium civitatum conditrix, omnium artium repertrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriae munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta. Eadem enim est paupertas apud Graecos in Aristide iusta, in Phocione benigna, in Epaminonda strenua, in Socrate sapiens, in Homero diserta*“. Quas sententias cum Pluti agonis argumento valde congruere iam supra exposui; quattuor illas virtutes principales paupertas in hominibus efficit; artium autem est repertrix. Sed unum est notandum: paupertas hic „prisca apud saecula omnium civitatum conditrix“ nominatur. Quae cogitatio nobis facile memoriam illarum cultus orientis descriptionum revocat, in quibus egestatem vel necessitatem homines antiquissimos in unum locum coire, leges condere, urbes aedificare, artes invenire coegisse explicatur. Mirus autem hic Apulei locus est ea de causa, quia hic illae laudes necessitatis vel egestatis ad paupertatem sunt translatae. Laudes

igitur paupertatis et necessitatis hoc loco sunt coniunctae. Quaeri autem potest, quo e fonte sententiae fluxerint Apuleio.

Quam ad rem diiudicandam aliquid valere mihi videntur verba, quae sententias modo a me prolatas insequuntur: „eadem paupertas etiam populo Romano imperium a primordio fundavit". Tum Apuleius nonnullos Romanos, qui magna auctoritate, sed pauperes fuerint, affert: Cn. Fabricium, Cn. Scipionem alios[1]). Etiam hic illa de paupertate civitatum conditrice sententia enuntiatur, sed ad Romae initia adhibita. Qua cum cogitatione locus quidam bene comparari potest, quem apud Senecam in epistula 87, 38 legimus (ubi de syllogismis stoicis agitur): „putemus nos ad contionem vocatos. Lex de abolendis divitiis fertur: his interrogationibus suasuri aut dissuasuri sumus? his effcturi, ut populus Romanus paupertatem, fundamentum et causam imperii sui requirat ac laudet?" Seneca igitur cum amico se esse in contione atque populo Romano, ut paupertatem denuo appetat et divitias aboleat, persuadere cogitatione fingit. Quae fictio mihi valde ad scholas rhetorum spectare videtur, in quibus discipuli res quasdam fictas tractare discant. Agitur autem hic de suasoria: „quomodo aliquis populo Romano, ut paupertatem requirat, persuadere potest?" Quae suasoria est laudatio paupertatis prioris. Atque quod Seneca paupertatem „fundamentum et causam imperii" nominat, hic sententiam suasoriae principalem habemus! Quae sententia congruit cum illa de egestate civitatum conditrice cogitatione praeclara, cuius ad exemplum fortasse est conformata[2]).

---

[1]) de paupertate horum Romanorum insignium saepius in litteris Romanis legimus, ut apud Horatium (c. I, 12, v. 40 sqq.):

hunc (Fabricium) et incomptis Curium capillis
utilem bello tulit et Camillum
saeva paupertas.

[2]) ad hanc quaestionem aliquid valere mihi videtur mira quaedam Carneadae de iustitia sententia, quam Cicero de re publica III 21 praebet: „... et inferebat haec argumenta omnibus populis, qui florerent imperio, et Romanis quoque ipsis, qui totius orbis potirentur, si iusti velint esse, hoc est si aliena restituant, ad casas esse redeundum et in egestate ac miseriis iacendum". Notandum est Carneadem et philosophum et rhetorem fuisse! Praeterea autem elegia Romana aliquid valuisse potest. Saepius enim in elegiis legimus Romam ex initiis parvis esse ortam, ut apud Tibullum II 5, 21:

sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccae
et stabant humiles in Jovis arce casae.

Facile autem laudes inopiae in scholis rhetorum tractatas esse putamus. Cogites quoque de verbis Menandri rhetoris supra a me allatis: 〈ἐγκώμια〉 παράδοξα δὲ οἷον Ἀλκιδάμαντος τὸ τοῦ θανάτου ἐγκώμιον ἢ τὸ τῆς Πενίης Πρωτέως τοῦ κυνός. Atque etiam ea res, quod apud Apuleium ad illas quattuor virtutes principales a paupertate effectas quinta eloquentiae virtus est addita (paupertas . . . „in Homero diserta") nos, ut ex scholis rhetorum Apuleio laudationem inopiae fluxisse putemus, adducere mihi videtur.

Ad hoc paupertatis encomium Apuleius, ut iam dixi, nonnullas sententias morales annectit, quae laxe inter se sunt coniunctae. Valde autem hae cogitationes cum eis sententiis, quas in libris de recte vivendo scriptis saepissime legimus, consentiunt. Cuiusmodi cogitationes in litteris huius temporis persaepe invenimus. Conferas ea, quae Cicero in Tusc. III 81 dicit: „sunt enim certa quae de paupertate, certa quae de vita inhonorata et ingloria dici soleant . . ." Multae igitur sententiae, quas adhuc invenimus secretas, apud Apuleium coniunctae nobis occurrunt. Apuleius sententias de paupertate omnium bonorum magistra et de egestate civitatum conditrice prolatas cum cogitationibus moralibus coniunxit. Valde diversas cogitationes hic scriptor temporis posterioris confudit!

Sed iam ad finem disputationem meam perduxi. Longa autem fuit via ab Hesiodi praeceptis atque a cultus humani initiorum descriptionibus, ab Aristophanis Pluto et Euripidis fabulis usque ad Apologiam Apulei. Paulatim illae de vi salutari ege-

Populus pauper temporis prisci nobis apud Ovidium in Fastis I 195 occurrit:

plures opes nunc sunt quam prisci temporis annis,
dum populus pauper, dum nova Roma fuit.

Praeterea autem animum attendas ad verba Properti (IV 1, 21):

Vesta coronatis pauper gaudebat asellis
. . . .
hinc (sc.: ex condicione tam misera)
Tities Ramnesque viri Luceresque coloni,
quattuor hinc albos Romulus egit equos.

Hic igitur populum Romanum ex initiis parvis ad condicionem meliorem ascendisse legimus. Similiter autem Seneca, in dial XII 9, 3 dicit: „Romuli casa istud humile tugurium nempe virtutes recipit!"

statis paupertatisque cogitationes ortae atque conformatae sunt; deinde autem per totas litteras Graecorum et Romanorum sunt propagatae. Atque illa de paupertate artium magistra sententia locum proverbii obtinuit et prorsus sollemnis facta est. Exorsus sum in dissertatione mea ab encomio Penias sophistico, quod Aristophanem in agone Pluti conscribendo secutum esse verisimile mihi est, atque quaestionis finem praebuit alterum encomium Penias ab Apuleio sex fere saeculis post compositum!

Appendix: de Luciani Timone.

Supra (p. 64) quaestionem de Luciani Timone accuratiorem ad appendicis locum delegavi. Laudes enim Penias, quales adhuc investigare conatus sum, in Luciani Timone non exstant, sed dialogus nonnullas res maioris momenti, quae ad quaestionem nostram pertinent, praebet.

Iam autem de totius dialogi indole disputationem uberiorem conscripseram, cum Meskii de eadem re disceptatio in lucem prodiit (Mus. Rhen. 1915). Qui cum multis in rebus eadem fere proferret, satis habui paucis verbis eas res tangere, in quibus cum Meskii disceptatiuncula in universum consentio, ac non nisi de quibusdam rebus, ubi dissentio, paulo uberius disputare.

Mesk recte monet (p. 110 sq.) eas similitudines, quae inter Aristophanis Plutum et Luciani Timonem exstent[1]), in universum minoris esse momenti quam ut Lucianum in dialogo componendo ad Aristophanis fabulam se applicavisse statuamus. Sed mihi quidem mirae quaedam in singulis rebus similitudines dignae, quae respiciantur, esse videntur, quas similitudines maxime in colloquiis invenimus, quae Plutus de caelo in terram migrans, ut Timoni thesaurum ferat, cum Mercurio habet. Conferas:

1. Tim. cc. 12—17, Arist. Plut. v. 234—248: nemo fere recte divitiis uti scit, alteri enim homines sunt avari, alteri prodigi. Potissimum haec verba comparari possunt: Tim. c. 12:

---

[1]) de hac ratione agunt E. Ziegeler, de Luciani poetarum iudice et imitatore, Diss. Gott. 1872; P. Schulze, quae ratio intercedat inter Lucianum et comicos Graecorum poetas, Diss. Berol. 1883; Helm, Lukian und Menipp, Lips. et Ber. 1906, p. 188; Ledergerber, Lukian und die altattische Komödie, Diss. Frib. Schw. 1905.

αὖθις οὖν ἀπέλθω παρασίτοις καὶ κόλαξι καὶ ἑταίραις παραδοθησόμενος; . ἐξεώθει (sc. Timon) με τῆς οἰκίας . ., Plut. v. 243: πόρναισι καὶ κύβοισι παραβεβλημένος γυμνὸς θύραζ' ἐξέπεσον ἐν ἀκαρεῖ χρόνου.

2. Tim. c.c. 20—23, Arist. Plut. v. 107 sqq.: homines pauperes et probi, ubi primum divitias adepti sunt, improbi fiunt.

3. Tim. c. 24: Plutus caecus in terra vagatur: is qui Plutum invenit, eum domum secum ducit. Arist. Plut. v. 1—256: Chremylus Plutum errantem invenit atque in domum suam abducit. Ea igitur res, quae apud Lucianum narratur, in comoedia est argumentum scaenae primae. Praeterea haec verba conferre licet: Tim. c. 24: πλανῶμαι περινοστῶν. Arist. Plut. v. 121: ὅστις σε προσπταίοντα περινοστεῖν ἐᾷ.

4. Tim. c. 25: Plutus perraro homines probos invenit: homo, qui est quasi Lynceus alter, forsitan homines probos investigare potest. Arist. Plut. v. 98: longum per tempus Plutus homines probos non vidit; v. 210: Chremylus, ut Plutus acrius videat oculis quam Lynceus, efficere vult.

Quibus locis cum interdum singulae voces in censum veniant atque cum Lucianum Aristophanis fabulas cognovisse certum sit, facile adducor, ut his locis Lucianum Aristophanis fabulam memoria tenuisse statuam. Sed de singulis rebus hic agitur neque nobis putare licet Lucianum in toto dialogo conscribendo Aristophanem esse imitatum. Praeterea autem notandum est has sententias ex Aristophanis Pluto in comoediam mediam et novam esse propagatas veri non esse dissimile. Quam rem breviter tangam.

Mirae enim, ut Kaibel Hermae 55 ostendit, similitudines inter fragmenta ex Archippi Pluto conservata et Aristophanis Plutum exstant: in fragmento 35 Archippi Plutum de hominibus, quod ab eis devoretur, querentem invenimus (cf. Arist. Pl. v. 242—245), in fragmento 38 Plutus visum oculorum denuo nactus vestimentis pannosis erubescere videtur (cf. Arist. Pl. v. 80 sqq.). Praeterea fragmentum lepidum Amphidis comici afferam (fr. 23, Kock III):

τυφλὸς ὁ Πλοῦτος εἶναί μοι δοκεῖ,
ὅστις γε παρὰ ταύτην μὲν οὐκ εἰσέρχεται,
παρὰ δὲ Σινώπῃ καὶ Λύκᾳ καὶ Ναννίῳ
ἑτέραισί τε τοιαύταισι παγίσι τοῦ βίου
ἔνδον κάθητ' ἀπόπληκτος οὐδ' ἐξέρχεται.

Quo loco et Plutum clausum (cf. Tim. c. 13 et Arist. Pl. v. 237 sqq.) et Plutum caecum errantem atque in homines improbos incidentem invenimus. Facete autem sententia hic ad hetaeras adhibetur!

Sed non tanti interest cognoscere, utrum Lucianus illas de Pluto sententias Aristophani ipsi an fabulae alicui comoediae mediae vel novae debeat. Maius autem est, si diiudicare possumus, quo modo Lucianus totum dialogum composuerit, utrum fontem aliquem in Timone componendo sit secutus necne. Atque multi viri docti opinati sunt Lucianum hic ad comoediam aliquam novam vel mediam se applicavisse[1]. Quorum argumenta non multum valere Mesk recte demonstravit. Ipse autem cum multae sententiae atque res in Timone prolatae ad libros philosophorum popularium spectent atque magna ex parte etiam in prioribus vel posterioribus Luciani libris inveniantur, Lucianum illam de Timone fabulam ipsum in formam dramaticam redegisse et ea in re sententiis atque rebus multis sibi tritis rursus esse usum statuit. Certamen autem illud inter Peniam et Plutum, quod in capitibus 31—36 legimus, ad fontem cynicum Mesk refert atque id cum fabula Timonis a Luciano esse coniunctum censet.

Cui Meskii opinioni non prorsus assentior. Concedo sententias certaminis illius ad philosophiam popularem nos revocare, cum nulla re a cogitationibus, quas apud Teletem aliosque recte vivendi magistros legimus, differant[2]. Neque vero cum Meskio statuere possum totam reliquam fabulae partem a Luciano ipso in formam dramaticam esse redactam atque cum certamine coniunctam. Quaedam enim res me, ut Lucianum in dialogo componendo illo certamine excepto ad comoediam aliquam se applicavisse statuam, adducunt.

Eo enim modo, quo Timon amicos ingratos excipit atque plagis depellit, Pithetaerus in Avibus sacerdotem, poetam dithy-

---

[1]) ut Helm, Lukian und Menipp; maxime autem Kock, Rhen. Mus. 43.

[2]) maxime autem est utile illum librum, qui inscribitur σύγκρισις Ἀρετῆς καὶ Πλούτου comparare. Atque notandum est sententiam illam, quae in agone Aristophaneo sit principalis (paupertas est artium magistra atque ad hominum convictum necessaria) apud Lucianum non inveniri, quod iam Helm (p. 188) commemoravit. Allegoriae autem, quas in cap. 31 et 32 invenimus, ad aetatem recentem spectant, qua Cebetis tabula similiaque scripta nata sunt.

ramborum, hominem plebiscita recentia afferentem depellit; similiter quoque sycophantae in Pluto et Acharnensibus in fugam vertuntur. Cuiusmodi scaenas recte secundum Poppelreuterum nominare solemus „Kasperleszenen"[1]. Sed una re scaena illae Timonis ab Avium scaenis differunt: in initio scaenae uniuscuiusque monologus Timonis invenitur; tales autem monologi antiquae comoediae non sunt proprii. Sed Timonis monologi, quibus hic audientes vel legentes certiores de hominibus appropinquantibus facit, prorsus ad comoediam novam spectant, in qua persaepe histrio, qui est in scaena, spectatoribus de persona progredienti nonnulla narrat. Atque conferas Plaut. Trin. v. 400:

sed aperiuntur aedes quo ibam: commodum
ipse exit Lesbonicus cum servo foras.

(quibus verbis Philto audientes de Lesbonico et servo eius progredientibus certiores facit) vel Ter. Eun. v. 228:

sed quis hic est, qui huc pergit? attat, hic quidemst
parasitus Gnatho.

Comparari autem bene possunt haec Timonis verba (c. 47): τίς οὗτός ἐστιν, ὁ προσιών, ὁ ἀναφαλαντίας; Φιλιάδης, κολάκων ἁπάντων ὁ βδελυρώτατος; atque haec (c. 46): φέρ' ἴδω, τίς ὁ πρῶτος αὐτῶν οὗτός ἐστι; Γναθωνίδης ὁ κόλαξ . . (conferas quoque c. 49 et 54).

Quae si omnia perpenderimus, fortasse de comoedia aliqua media cogitabimus, quae scaenas illas comoediae antiquae episodicas atque monologos comoediae novae praebuerit[2].

Altera autem res, quae nos ad comoediam aliquam deleget, accedit: dico thesaurum, quem Timon in scaenis postremis effodit. Mire enim hic thesaurus in dialogo praedicatur. C. 10: Juppiter Mercurium et Plutum Timoni thesaurum afferre iubet; c. 29: Mercurius Plutum thesaurum non secum ferre commemorat, Plutus se thesaurum, si ad caelum ascendat, sub terra occultaturum esse exponit (quae res hic valde est nova); in capite 39 Mercurius denuo de thesauro loquitur, in capite 40 Plutus rursus eum commemorat. Multis autem verbis postea, quomodo Timon thesaurum effodiat, describitur (c. 41 sqq.). Qui thesaurus apud Lucianum multum habet miri. Fuitne enim tam necessarius? Prorsus non

[1]) Poppelreuter, De comoediae Atticae primordiis, Diss. Berol. 1893.

[2]) de usu monologi apud poetas comicos conferas Leo, Der Monolog im Drama, Abh. d. K. G. d. W., Berol. 1908.

fuit. Nam in Pluto Aristophanis ratio, qua homines divites fiant, plane neglegitur: Pluti adventus ad homines divites efficiendos sufficit. Sed aptissimus thesaurus est ad comoediam, in qua thesauri in scaena effossio multos risus spectatoribus movere potest. Conferas Pacem Aristophanis, ubi Eirene magna cum difficultate effoditur. Cum thesauro autem castigatio adulatorum arte cohaeret. Juppiter iam in capite 10 de amicis ingratis Timonis puniendis loquitur, Mercurius tum denuo in capitibus 35 et 40.

Atque si comoedias medias vel novas perlustraveris, non paucas, quae „Θησαυρός" inscribuntur, invenies; Anaxandrides, Philemon, Diphilus, Menander, Dioxippus comoediam „Θησαυρός" conscripserunt[1]). Afferam autem fragmentum Philemonis 121 (Kock II):

A. πολλάκις ἔχων τις οὐδὲ τἀναγκαῖα νῦν
αὔριον ἐπλούτησ' ὥστε χἀτέρους τρέφειν

B. θησαυρὸν εὑρὼν τήμερόν τις αὔριον
ἅπαντα τἀκ τῆς οἰκίας ἀπώλεσεν.

Iam apud Aristophanem in Avibus de thesauro agitur (v. 599 sqq.); conferas maxime haec verba (v. 602): κτῶμαι σμινύην καὶ τὰς ὑδριὰς ἀνορύττω. Atque certum mihi videtur effossionem vel inventionem thesauri aliquid valuisse in comoediis.

Habemus igitur argumentum in comoedia tritissimum, a Timonis vero fabula alienissimum. Quodsi quaerimus, a quo huic illud insertum sit, sane necesse non est cogitare hoc iam in comoedia factum esse quam Lucianus secutus sit, si modo secutus est. Qua comoedia fortasse de viro aliquo agebatur, qui olim dives fuerat, tum in pauperiem inciderat atque ab amicis erat desertus, postea autem denuo dives fiebat et graviter amicos ingratos ulciscebatur. Atque vir olim dives, nunc pauper atque ab amicis infidelibus desertus nobis iam in Aristophanis Pluto, in v. 824 sqq. occurrit. Apud Menandrum autem in aliqua comoedia vir, qui subito dives erat factus, progressus est (fr. 731). Nec vero cur cum Meskio potius a sophista nescioquo inventionem thesauri cum fabula Timonis esse coniunctam quam a Luciano

[1]) inscriptionibus comoediarum sane non nisi percaute uti licet; Philemonis Thesaurum Plautus in Trinummo ad usum suum convertit.

ipso statuam ulla causa est[1]). Eo autem facilius fabula Timonis cum comoedia eiusmodi copulari potuit, quia iam ante Lucianum miseriam Timonis sumptibus effusis effectam esse, amicos autem gratiam debitam Timoni non rettulisse narratum erat (quae apud Plutarchum, in vita Antonii, c. 69/70 legimus). Ipsam autem Timonis fabulam Lucianus e libris philosophorum popularium hausisse mihi videtur. Multae enim in Timone sententiae, ut recte Mesk ostendit. ad libros de bene vivendo conscriptos spectant. Imprimis si epistulam Senecae vicesimam, ubi paupertas laudatur ea de causa, quod quis sit amicus vere fidelis, demonstret (§ 6: non est autem vel ob hoc unum amanda paupertas, quod a quibus ameris. ostendit?) conferimus, quam facile Timonis fabula in philosophia populari adhiberi potuerit, videmus[2]).

Quaeri autem potest, utrum illud certamen Penias et Pluti etiam in fabula Timonis a magistris bene vivendi prolatum sit an Lucianus id cum fabula coniunxerit. Ego quidem crediderim Lucianum certamen cum fabula coniunctum invenisse: fortasse a magistris recte vivendi demonstrabatur Timonem ab amicis desertum veram amicam, paupertatem cognovisse et adamavisse. Qua cum paupertatis laudatione Timonis de thesauro laetitia in posterioribus scaenis e comoedia haustis non bene congruit. Timonis autem in deos contumeliae, quas in prima scaena legimus, non tantopere cum Timonis verbis in certamine prolatis discrepant: Timon queritur, quod amici ingrati poena non afficiantur, neque vero, quod pauper sit factus. In universum autem caute talibus discrepantiis[3]) utendum est, cum certum esse videatur Lucianum ad ea, quae ex quibusdam fontibus haussisset, multas res singulas addidisse atque ita facile constantiam morum personarum violare potuisse.

---

[1]) Mesk ipse commemorat thesauri inventionem Timone excepto apud Lucianum nusquam nisi in scriptis posterioribus inveniri.

[2]) Leo, Griechisch-römische Biographie, p. 117 hoc de Luciani Timone iudicat: „Lukian zeigt, wie die populäre Moralphilosophie sich den Stoff zunutze gemacht hatte. Die Biographie liegt zu Grunde".

[3]) his discrepantiis nimis momenti Mesk tribuere mihi videtur.

Conspectus locorum.

Index capitum.

Vita.

Natus sum Guilelmus Meyer a. d. VI. Kalendas Junias 1891 in vico Hannoverano, cui nomen est Bassum, patre Guilelmo et matre Margareta de gente Dammann. Fidei addictus sum evangelicae. Bremae gymnasium, qui Altes Gymnasium nominatur, ab anno 1900 frequentavi, unde anno 1910 testimonio maturitatis instructus Gottingam me contuli. Qua in urbe per quattuor semestria in studiis veterum et Germanicae linguarum versatus sum. Deinde Monachii per sex menses eisdem studiis me dedidi, unde Gottingam, ut studia ad finem perducerem, redii.

Docuerunt me viri docti Monacenses: Borinski Crusius v. d. Leyen Muncker Petersen Rehm Streitberg Vollmer Weyman, Gottingenses: Baumann Bousset Brecht Busolt Husserl, Koerte Leo † E. Mueller Pohlenz Ranke Schroeder Schultz † Stange Viertel † Wackernagel Weissenfels Wendland †. Praeter grammaticas historicas germanicas exercitationes seminarii philogici Gottingensis sodalis fui per quattuor semestria. Omnibus viris doctis gratiam habeo, maximas autem gratias Pohlenzio semper habebo, qui animum meum ad hunc libellum conscribendum incitavit et in eo perficiendo me liberalissime adiuvare numquam desiit.
